


918.

V. 10. 4.



No. 180.
N.





AKOB A 319 5.
SUCCINCTUM JUDICIUM
super
QVÆSTIONE
THEOLOGICA,

An hæresis non solum sit in conce-
ptibus, sensu, mente & intelligentiâ, sed etiam
in signis conceptuum, seu verbis, phrasibus,
& loqvendi formulis?

Quod roganti viro amico
Impertivit

M. JOHAN. PHILIPPUS TONSOR,
Ecclesiæ Ottendorfiensis Pastor & cæterarum
in Hadelia Superintendens.



VVITTEBERGÆ,
Typis & Impensis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.
Anno M DC LXXVII.

33

SHICINCTUM JUDICIIUM

super

QUESTIONE
THEOLOGICA

An haec non solum in conce-

ptibus tantis, mente & intelligentia, sed etiam
in signis conceptibus, seu verbis, phrasibus
& locutionibus formis

Quod roganti viro amico
impressit

M. JOHANN. PHILIP. STORZ

Beckle Orendenensis Pastor & curatus
in stabulis superintendens

WITTEBERG

Typis & Impensis CHRISTIANI SCHROEDTER
Anno MDCCLXXII

3



verba, phrasæ & formulas loquendi non intelligo solum ducturam & formationem literarum & syllabarum, quæ vel voce proferuntur, ac in aëre resonant, vel in codice ac chartâ hærent. Literæ enim, apices & syllabæ, quæ tales, tantum signa sunt, quæ cum rebus effigiatis & signatis quandoq; conjuncta sunt, non tamen sunt ipsæ res effigiatæ & signatæ. Nec (2) solum sonum vel vocem externam per arteriam, os, dentes, palatum & linguam, adjuvante aëre formata. Nec (3) verba significantia seorsim, separatim, & divisim considerata, quatenus variis æquivocationibus subjacent, quæ alibi apud bonos Autores in diversis locis occurrunt. In verbis ac vocibus, tali modo consideratis, nemo sanus unquam vel schismæ, vel hæresin, vel orthodoxiam collocavit. Sed intelligo (1) voces & phrasæ significantivas logicas, (2) cum ordinario, naturali & certo sensu, quem legens vel audiens concipit conjunctas & combinatas (3) scopo, crisi, circumstantiis antecedentium & consequentium probe ponderatis. Distingvo præterea inter *modum inessendi primarium & immediatum, & secundarium & mediatum*. Hisce præmissis statuo hæresin esse primario in mente, intelligentiâ & sensu, sed non solum. Verum etiam secundario in verbis, phrasibus & formulis loquendi, posteriori, non priori modo consideratis, quod invictè demonstro.

I. EX SACRÆ SCRIPTURÆ TESTIMONIIS.

I. Esaiæ c. 8. v. 1. *Et dixit Dominus ad me: tolle tibi volumen grande, & scribe in eo stylo hominis. Ad quæ verba B. D. Glassius in Philolog. Sacra l. I. Tract. 3. p. 200. ita commentatur: Stylo hominis, hoc est, manifesto & verbis humanis, literisq; notis, ut omnes, etiam vñmos & simplices possent id, quod erat scribendum, intelligere. Ita totius etiam Scripturae Sacrae sermonis characterem Spiritus Sanctus esse voluit, ut cujusvis intelligentiæ esset in plerisque obviis. Quamvis hic locus præcipuè probet Scripturae perspicuitatem & simplicitatem (non quidem rusticam, infulsam & incultam, apertam minimèq; fucatam, ut simplex sit, qui non est malitiosus, captiosus & fraudulentus) tamen etiam ad præsens negotium facit hoc modo: Esaias cum vellet obscurius
nonni-*

nonnihil, sublimius & difficilius loqui, admonibus fuit à Spiritu Sancto, & iussus loqui stylo hominis. Si autem phrasium & modorum loquendi non æquè accurata esset habenda ratio, quàm mentis, sensus & intellectus, tum hæc admonitio fuisset super-
vacua.

II. Matth. 5. v. 18. dicit Salvator: *Amen quippe dico vobis, donec prætereat cælum & terra, jota unum & unus apex non prætere-
at ex lege, quoad omnia facta fuerint.* Confer etiam cap. 24. v. 35. Si Deus ita accuratè vult custodire, & custodiri minimam literam, & corniculum, quod est *jota Hebræorum*, & minima puncta vocalia, *cholem, chirek* &c. accentus *Rebbia* &c. certè ex eorum mutatione & mutilatione summum periculum, nimirum veritatis cœlestis amissio, pullutabit. Proinde in scriptis & disputationibus Theologicis & concionibus sacris *formate*, id est, literæ, phrasæ & modi loquendi, purum & sanum esse debet, æquè ut *materiale*, id est, sensus & sententia.

III. Rom. 15. v. 5. *Paulus admonet Christianos, præprimis Ecclesie Doctores & optat* (votum enim continent versus 5 & 6, non enim prædicit Apostolus, quid demum eventurum sit, sed optat ut fiat) *ut Deus patientia & consolationis det illis mutuò inter se sentire.* *Τὸ αὐτὸ φεγεῖν*, Ergo etiam *λέγειν* & unanimiter etiam uno ore glorificare Deum, & *τῷ αὐτῷ σοιχεῖν καὶ ὅν*, ut loquitur Phil. 3. v. 16.

IV. Gal. 1. v. 16. *Miror, quod à Christo, qui vocavit vos per gratiam, adeò citò transferamini in aliud Evangelium.* Hic Paulus prohibet prædicare Evangelium *ἑτερον* aliud, *diversum*, ergò multò magis *ἐναντίον* contrarium. At prædicatio fit verbis, vocibus, phrasibus & modis loquendi certis. Ergò & possunt esse *ἐναντία* & *ἑτέρα*, id est, hæresi & veneno tinctæ.

V. 2. Tim. 1. v. 13. *Paulus Timotheo tale dat consilium. Formam habeto sanorum verborum, quæ à me audivisti, cum fide & charitate, quæ est in Christo Jesu.* Confer etiam 1. Tim. 6. v. 3. Facit hic Apostolus mentionem materiæ seu rerum credendarum, sensus & intelligentiæ, & formæ, id est, verborum, phrasium & modorum, & formularum loquendi, ac seriò inculcat, in nullo Doctori Ecclesie impingendum. Vox *ἰστορίας* Philosophis,

Rhetoribus & Pictoribus grata & nota est, λόγος ὕμης sermo sanus oppositum habet λόγον νοσηρὸν ægrum, corruptum, inquinatum, & in se hæreticos vitio infamem. Labet hic addere verba *Aretii* in hunc locum. *Sunt qui non solum de substantiâ doctrinæ Paulinæ intelligunt, sed etiam de figura ipsa orationis, quod periculosum sit etiam à verbis recedere.* Quid sit ὑπόπρωσις apud *Rhetores* notum ex omnibus compendiis, nimirum: cum res ita subjicitur oculis, ut non narrari, sed geri videatur, id est, clara rerum representatio, viva expressio, ocularis demonstratio, plana subjectio sub aspectum. *Pictores* per illam intelligunt prima lineamenta, carbone vel cretâ delineata, ac omnium oculis obvia. *Philosophi* ideam intelligunt. Monet ergo sermō Apostolus, ut Doctores Ecclesiæ utantur verbis ac formulis loquendi clavis, puris, sanis, ac minimè fucatis & suspectis.

VI. 1. Thess. 5. v. 23. *Admonet Apostolus ab omni specie malâ abstinere. Remoto genere, remouentur omnes species.* Si ergo ab omni specie malâ abstinendum, etiam à phrasibus, verbis, ac formulis loquendi novis, hæreticis & scandalosis abstinendum erit, maximè speciem mali habentibus.

VII. 1. Tim. 1. v. 6. de Pseudo-Apostolis ita loquitur Paulus: *Volentes esse legis Doctores, non intelligentes, quæ loquuntur, neq; de quibus asseverent,* ac illis objicit ignorantiam crassam & affectatam in sequentibus. (1) quod apud populum soleant prolixè declamare, ac periculosis formulis decantare laudes legis Mosaiæ (cujus amen scopum non intelligant) ceremoniarum, circumcissionis, festorum, jejuniocum & similibus, eorumq; simplicem necessitatem ad salutem urgere. (2) de satisfactione autem & merito Christi, de gratuitâ gentium vocatione, libertate Christianâ & abrogatione legum ceremonialium illos jejune, ineptè & pueriliter loqui conqveritur. Argumentor ita: *Qui Ecclesiæ Doctor ita loquitur, ut ipse non intelligat, vel alius eum audiens, ille non est sincerus, sed ad ματαιολογίαν desectis: sed qui formulis loquendi novis, periculosis ac hæreticis usitatis utitur, ille est satis Doctor.* Ergò.

VIII. 1. Cor. 1. v. 10. *Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus, eadem mente & eadem sententiâ.*

centia. Hæc eleganti admonitione Doctor gentium non solum mentem & intellectum, sed & linguam & calamum informat. Adscribam hic elegantia verba *B. D. Hunnii*, in hunc locum p. 158. *Paulus utitur gradatione, tres nimirum gradus ejus, quorum primus vertitur in sermone, ut idem loquantur omnes de his, quæ ad communem pietatem pertinent. Secundus est, ut eadem sint mente. Utitur autem emphatico verbo κατηλισμένοι, quo vult, ut Christiani sint quasi colligati & compacti in eandem mentem & piam animorum conjunctionem. Tertius subjungitur gradus in eadem sententiâ, sub quâ de rebus ad Christianismi formam spectantibus uniforme judicium intelligit. Hi tres gradus ita connexi sunt, ut postremus medijs, medius primi cernatur esse fons & causa, siquidem ex eadem in religione sententia existit illa mentis voluntatisq; conjunctio, hæc rursum efficit, ut idem loquantur, qui sententiis & voluntate concordant.*

IX. Coloss. 4. v. 6. Sermo vester sit cum gratiâ sale conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Duabus insignibus virtutibus Apostolus ornat præ cæteris Ecclesiæ Ministrum, nimirum sua veritate & perspicuitate, quibus maximè indiget, quando suos Auditores informare & fidei suæ rationem reddere tenentur. Suavitas est necessaria in populari docendi genere, perspicuitas verò in confessionibus, ut sententiæ sint manifestæ, apertæ, acutæ, quasi sale conditæ, non verò fatuæ, ambiguæ, ad decipiendum & fallendum aptæ. Omnia ad edificationem, ut admonet Apostolus 1. Cor. 14.

X. 2. Tim. 2. v. 15. Stude te ipsum probatum exhibere Deo operarium, non erubescens, sed secantem sermonem veritatis v. 16. Cæterum prophanas vocum inanitates prætermitte &c. Tria hæc, si etiam adjungamus versiculum præcedentem 14. Apostolus sollicitè inculcat Ecclesiæ Doctoribus, (1) ut fugiant λογομαχίαν. (2) discant τὸ ὀρθοτομεῖν. (3) fugiant τὰς βεβήλας κενόφωνίας. Nostri instituti ratio non patitur, ut singularum vocum emphasin hic excutiamus, quod à Commentatoribus diversis abundè præstitum, sed hoc saltem monemus: Si hæresis non etiam in verbis esset, vel esse posset, tum admonitiones hæc omnes essent supervacua.

XI. 1. Cor. 1. v. 5. Gloriatur Apostolus ditatos esse tuos Corinthios non solum omni notitia, sed omni quoque sermone seu facultate.

*cultate & modo loquendi & v. 10. obsecro autem vos fratres, per no-
men Domini nostri Jesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non
sint inter vos dissidia, sed sitis integram corpus eadem mente & eadem
sententiâ.*

XII. Levit. 10. v. 1. 2. de *Nadab & Abihu* legimus, quod
peregrinum ignem in sanctuarium ferentes igne à Deo irato ab-
sumpti sint. Ignis ille alienus ac peregrinus fuit typus non solum
falsæ doctrinæ & traditionum humanarum, sed etiam periculosa-
rum & novarum loquendi formularum. Ergo, si de re constat,
de vocibus certamen non est instituendum. Peregrino etiam illi
igni in sanctuario Ecclesiæ locus non est. Verum est proverbium.
Qui novas fingit phrasas, nova fingit dogmata. Rectè itaq; ac te-
naciter tenere verba & modos loquendi præscriptos, & ab illis
neq; ad dextram neq; ad sinistram declinare, orthodoxiæ princi-
pium & caput est.

XIII. Christus dicit Matth. 12. v. 36. *Sed dico vobis, quod
de quocunq; verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddaturi sint
rationem in die iudicii.* Verbum otiosum *ῥημα ἀργόν*, est tale,
quod omni utilitate est vacuum, proximum non ædificat, sed
scandalizat, nec ad Dei honorem vel tantillum commodi affert.
Sub quo continentur etiam novæ ac periculosæ phrasas, hæreticis
usitatæ, & gratæ, de quibus omnibus & in iudicio particulari mor-
tis, & universali ultimo ratio reddenda est. Pergit Salvator v. 37.
Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Sermo
est character animi. Ergo etiam in verbis, phrasibus & formulis
loquendi erat vel injustitia & hæresis, vel justitia & orthodoxia,
non verò solum in mente & intelligentia. Qui ergo lingvâ blas-
phemâ, dolosâ, mendaci & hæreticâ utuntur, graves sibi pœnas
attrahunt.

XIV. Exod. 23, v. 13. *Deus severè prohibuit, ne Israelita
nomina Deorum alienorum seu idolorum nominarent.* Potuissent
Judæi pro suâ innatâ impudentiâ regerere: in nominibus, ver-
bis ac vocibus *Baal* &c. non esse hæresin ac malitiam, ac proinde
indifferens esse illis uti, vel non uti. Sed hanc petulantiam Deus
inultam non reliquisset. Plura testimonia ex Sacrà Scripturâ non
addo, inferius in refutatione objectionum alia nonnulla, quæ hic
omissa, adducentur.

II. EX

II. EX VERBORUM INDOLE.

I. *Voces significativas & ex illis combinatas sententias & phrasas esse signa conceptuum, communis est sententia omnium Metaphysicorum & Logicorum. Ergò conceptum, mentem sanam & orthodoxam signant & repræsentant etiam verba sana, & formulæ loquendi orthodoxæ, conceptum verò ægrum & hæreticum verba ægra & heterodoxa. Si autem voces & phrasas essent ægræ, novæ, & scandalosæ, hæreticis usitatæ, & conceptus essent sani & orthodoxi, tam non essent signa conceptuum, nec illos repræsentarent.*

II. *Verba & genuinum eorum sensum coherere, verissimum est. Optimè Plato in Timæo: Propter hoc etiam datus est sermo, ut presto forent mutua voluntatis indicia. Quilibet enim apud se experitur, cum audit aliquem loquentem, quod tum feratur animus illius ad apprehendendos & percipiendos conceptus loquentis. Si ergò audio sententias novas, periculosas, hæreticis usitatas, cogito statim subesse etiam mentem hæreticam.*

III. *Angeli nullo sermone opus habent, (loquor autem de illis secundum eorum naturam, non quatenus in corpore assumpto apparent,) sed unus alteri conceptus suos modo nobis incognito immediate manifestat. At homines sua desideria, consilia, doctrinas ac res occultas mediate manifestant per verba & voces. Si ergò signum est hæreticum, conceptus & cogitatio similiter erunt hæretica.*

IV. *Ex mente proferentis non est intelligenda oratio, nec in analysi ad animum proferentis & reservata mentalia exponentis, vel Autoris recurrendum, sed verba & voces inter se connexæ & certâ periodo digestæ, prout jacent, accipiendæ sunt. Quod alibi fufius probavi in Tractatu de Propositionibus Exponibilibus, in specie Reduplicativis, thesi XXIV. Boni & honesti viri non est in rebus seriis & magni momenti ludere verbis, sicut pueri nucibus, quod scurrarum est proprium. Ubi ergò lego vel audio verba scandalosa, nova, hæretica, ibi etiam colligo subesse talem mentem. Possum quidem & nonnunquam debeo*
B quare.

querere ex Adversario, quomodo hæc sua intellecta velit, sed hoc nihil ad præsens facere inferius in solutione objectionum probabo.

V. *Signa exactè debent representare sua signata.* At voces & scripta sunt *signa doctrinalia*, docentibus omnibus Metaphysicis. Ergò signa hæretica & schismatica non possunt representare (*quod est de ratione formali signi*) mentem sanam, sensum piæ, conceptus orthodoxos.

VI. Non juvat verba & in genere, & seorsim in Lexicis, & apud bonos Autores, aliter atq; aliter accipi, æquivocationum montes coacervari, & è longinquo sensus peregrinos avocari posse, sed sermonis proprietates est attendenda, scopus & consideratio antecedentium & consequentium probè pensanda sunt. Nisi alicui arrideant sophisticæ nugæ blasphemæ *Jesuitæ Gordoni Huntley*, qui ex multiplici vocum significatione & æquivocatione colligere voluit, nullam esse sententiam Veteris Testamenti in textu Hebræo tam apertam, quæ non possit verti in varios, imò & improbos sensus, si auferatur traditio, & auctoritas Ecclesiæ Romanæ. Sed irrisor ille verbi divini dudum dignas dedit pœnas. Vid. *B.D. Franzium de Interpretatione Scripturæ in præfat. p. 35. & seqq.*

VII. Si controversia de sententiæ alicujus sensu oritur, ante omnia respicienda sunt verba, & quomodo naturalis ratio super illa cadat, sollicitè disquirendum. Exempli gratiâ: Ponat aliquis hanc thesin: *Vis & efficacia tam arctè coheret cum verbo Dei in conversione hominis, ut ab eo nunquam penitus absit.* Quæ triplici sensu videtur exponi posse. (1) ut particula *penitus* opponatur *Enthusiasticis*, qui verbo Dei lecto & prædicato penitus vim detrahunt, asserentibus: *penitus à verbo abesse virtutem & efficaciam*: quibus opponitur hæc contradictoria: *Non penitus abesse virtutem & efficaciam à verbo Dei.* (2) Calviniani nolunt videri, quasi virtutem & efficaciam verbo denegent, attamen ad solos ex absoluto decreto electos restringentes, gravissimum etiam hic errant errorem, ac verbo Dei, apud maximam partem hominum, omnem vim & efficaciam, quantum in illis est, denegant. Proinde sensus talis posset exculpi: *Abesse quidem*

quidem apud ex absoluto decreto reprobatos omnem vim & efficaciam à verbo Dei, attamen apud electos esse efficacem. (3) Sensus etiam posset esse talis: *Posse dari casum, ubi virtus & efficacia aliquando à verbo aliquo modo absit, nunquam tamen penitus absit.* Prima expositio nihil incommodi habet, secunda est erronea, & quodammodo etiam coacta, tertiam, naturalis discursus & ratio cadens super aliquam propositionem videtur approbare, sed commodè explicanda est. Minus orthodoxè illam ita intelligeres: Deum in conversione hominis suà efficaciam & virtute semper præstò adesse, attamen non omnibus æqualiter, eodem modo, pari efficacia & æquali intentione, quod Calvinianis ad palatum esset, sed hoc modo: Virtus & efficacia Spiritus Sancti, quæ verbo Dei adjuncta & indita est inseparabiliter, omni loco & tempore, quantum ex parte Dei ejusque intentionis, æqualiter, pariter, ac eodem modo se habet universaliter erga omnes homines, nec respectu intentionis divinæ recipit magis & minus, ut modo major (apud electos,) modo minor (seu potius nulla apud reprobos) sit, quamvis respectu hominum recipientium sit inæqualitas.

VIII. Mens pia, sincera & orthodoxa utitur etiam verbis piis, sinceris & orthodoxis, nec Auditores, præsertim in Ecclesiâ & Scholis, ambiguis, novis & periculosis phrasibus & loquendi formulis turbat. Omnia ad gloriam Dei, & proximi adificationem dirigenda. Si piè & orthodoxè cum Ecclesia sentis, cur etiam cum eâ non loqueris? Benè monet D. Kesslerus in Logica suâ Pfortiniana Sect. III. Princip. VII. p. 249. *Omnibus modis præcavendum, (agit autem ibidem de propositionibus seu prædicationibus naturalibus & non naturalibus,) ne lingua secunda vel obscuritatem inferat, vel errori ansam præbeat, vel calumniis fenestram aperiat: Adde ego: auditorium præter necessitatem turbet, à fidiâ inter fratres excitet, Adversariis frigidam suffundat, religionem nostram deridendam propinet, ac Syncretismo ac Atheismo viam sternat.*

IX. Ex styli definitione. Stylus est consuetudo loquendi conformis menti & cogitationi. Si igitur aliquis loquitur cum hæreticis & schismaticis, & eorum stylo ac consuetudine se oblectat,

lectat, eo ipso etiam meritum suam hæreticam & schismaticam
prodit, licet millies contrarium verbis protestetur, & sibi in-
juriam fieri ad ravinusq; clamitet.

III. EX HÆRESEOS ET SCHISMA- TIS NATURA.

Quantò præstantior est anima corpore, tantò deterior
& nocentior est hæresis persecutione, hæc perdit & affligit cor-
pus, illa animam. Proinde Christus admonet Matth. 10. v. 29.
*Nolite metuere eos, qui corpus occidunt, animam autem non pos-
sunt occidere.* Hæresis, si ipsam vocis originem spectes, *electi-
onem* significat, *αἰρέσις* capio, eligo, *αἴρεσις* electio, optio,
quandoq; etiam idem ac *eversio*, *deturbatio*; *αἰρεῖν* enim signi-
ficat etiam evertere, deturbare, eò quod hæresis evertat funda-
mentum fidei. Hanc vocem Latini pro suâ ac propriâ accepe-
runt. Est autem hæc vox per se media, ut & de bono & malo
instituto accipiatur, inde etiam in triplici significatione occur-
rit: (1) notat quamvis electionem & animi propositum. (2) do-
gma quoddam, & sectam apud profanos Autores. Sed hæc
non sunt nostri instituti. (3) accipitur Ecclesiasticè, & est *electio
as defensio pertinax talis doctrina, quæ perversè falsèq; cum con-
sensu perpetuo Prophetarum & Apostolorum de Deo rebusq; divi-
nis pugnat, quâ Deus contumeliâ afficitur, fundamentum fidei e-
vertitur, ac multi errore implicati in æternum ruunt exitium.* In
concreto Hæreticus est talis persona, quæ in gremio Ecclesiæ consti-
tuta talem doctrinam malitiosè defendit ac propagat. Ex quibus
patet in hæresi & hæretico duo concurrere (1) *opinionem falsam*
(attamen sanctitatis ac veritatis populo ornatam) *cum fidei funda-
mento pugnantem.* (2) *in eadem defendendâ ac propagandâ perti-
naciam.* Hanc comitatur *convictio*, quâ hæreticus in suâ consci-
entiâ vi verbi & veritatis convincitur, attamen errorem suum
semper palliare conatur. Unde Paulus illum vocat *ἀνομιαν
κρυπτον*, ut qui suo opte iudicio sit condemnatus, ac proinde se-
dulò vitandus, Tit. 3, v. 10. 11. Ex quibus liquidò patet, hæ-
resin non solum esse in mente & intellectu, sed etiam in verbis
ac mo-

ac modis loquendi, pertinax enim defensio & propagatio sine verbis ac literis fieri non poterunt.

Schismatis, quoad hoc negotium, eadem est ratio. Augustinus l. II. contra Crescent. cap. 3. inquit: heresis est diversa loquentium secta, schisma vero eadem sequentium separatio. Est ergo schisma Ecclesiastica unitatis dissectio, qua fidelium secta in partes & studia dividitur. Cum autem scissio illa unitatis sine verbis, scriptis & loquendi formulis distrahentibus non possit fieri, immotè itidem sequitur, schisma primario esse in mente & animo, secundario vero in verbis. Alias quaestiones, nimirum in quo consistat formale hereseos & schismatis? quomodo accurate differant? Heresis & Heretici quomodo varie distinguantur? quinam sint errores fundamentales, quos heresis evertat? & plures similes ad negotium praesens directe parum facientes, hic praetero, qui plura de illis sane desiderat, adeat nostros Theologos in scriptis suis syncretistis oppositis, praepimis Dn. D. Meisnerum in Irenico Durano novissime Wittebergæ edito, qui hac materiam accurate & nervosè tractat. Nobis hic sufficit ostendisse, heresin & schisma etiam in verbis esse, idque potestare illorum naturam, quocumque modo deum illa se habeat.

Heresi opponitur Orthodoxia, quam non solum in sensu & mente, sed etiam in verbis esse nemo negare poterit. Sed de hisce inferius pluribus.

IV. EX ABSURDIS ET INCOMMODOIS EX SENTENTIA CONTRARIA EMERGENTIBUS.

Verba sunt signa conceptuum æqualiter & præcisivè, in quacunq; materia illi formentur, sive Theologica sive Philosophica, sive Politica sive economica &c. Si ergo in Theologia solum respiciendum ad hominem, tales conceptus formantem, & in verborum explicatione & analysi unice ad mentem exponentis recurrendum, tum etiam hoc in aliis disciplinis & negotiis faciendum erit, parium enim est eadem ratio. Quando nunc

B 3

nec hæ-

nec hæresis, nec schisma, nec error per se est in verbis, sed solum in mente, intellectu & animo proferentis, tum multa absurda in Ecclesiam & Politiam inferuntur, omnesq; status horrendâ confusione turbantur. Aliquot absurdorum & incommodorum plaustra sese offerunt, nunc potiora saltem delibabimus.

I. Quomodo mens & intellectus possunt esse sana, si verba agrotant? Sicut enim sanitas & ægritudo in sensus per signa & effectus, ita etiam se prodit hæresis per verba, quamvis ad tempus latitare possit.

II. *Unius compositi & rei non nisi unica est anima & forma vocalis & specifica.* Ergo etiam unius phraseos unica erit significatio propria, quæ scilicet ex verbis immediatè fluit, & vocatur sensus literalis, quod verò certæ & immotæ consequentiæ vi ex illo sequitur, quamvis sensus literalis non sit, attamen verum & genuinum est. E. G. Propositionis hujus *Christus passione & resurrectione satisfacit pro peccatis totius mundi*, sensus literalis est facilis, insuper immotâ ac sana consequentiâ ex eâ colligitur: Ergò *Christus est verus Deus*, quæ *ὁ θεὸς ὁ ἀληθινός* & sensu literali in priori non continetur, vera tamen & non falsa est. Absurdum ergò est in & sub phrasi scandalosâ, novâ & hæreticâ quærere alium, quàm sensum hæreticum & scandalosum, nimirum orthodoxum.

III. Si verba malè sonantia non culpanda, quando mentis sanitas prætenditur, tum verba benè sonantia multò magis acceptanda, & illis fides habenda, utut mens sit suspecta, & aliter de eâ constet ex operibus: quando ergò *Pontifeij, Calviniani & Sociniani* nobiscum loquuntur, pro fratribus in Christo habendi ac minimè damnandi essent. At hoc posterius est absurdum. Ergò etiam prius. Consequentia ex loco contrariorum evidens est.

IV. Ludos facere, & vocibus abuti turpissimum est, nec in Politia benè constituta tolerandum. Ergò multò minùs in Ecclesiâ, ubi salus animarum periclitatur. *Bellarminus* Tom. II. de Sanctorum beatitudine lib. 1. Cap. XVII. p. m. 292. habet talem positionem. *Non licet à Sanctis petere, ut nobis tanquam*

autores divinorum beneficiorum gloriam vel gratiam aliqve ad beatitudinem media concedant. Paulò post in eadem paginâ columna altera lit. F. ita pergit: Est tamen notandum, cum dicimus, non debere peti à Sanctis, nisi ut orent pro nobis, nos non agere de verbis, sed de sensu verborum, nam quantum ad verba, licet dicere: S. Petro miserere mei, salva me, aperi mibi aditum cœli, item, da mibi sanitatem corporis, da patientiam, da mibi fortitudinem &c. dummodo intelligamus, salva me & miserere mei orando pro me, da mibi hoc & illud tuis precibus & meritis. Ad quæ verba Clarissimus D. Conringius in Animadversione sua in Novenas S. Antonij de Padua Anno 1675. Helmstadii excusa p. 18. ita commentatur: Quid sane est fucare scelus, si hoc non est. Utiq; enim verba sunt signa sensus, & abstinendum à verbis esse, quæ facillè in alienum sensum possunt accipi, inter regulas est humana societas. Nec utiq; verba illa: salva me, re ipsa significant idem, atque ora pro me, ut salvet me Deus. Jesuita Delrio, in Adagijs Sacris part. I. p. 219. agit de descensu Christi ad inferos seu ad lymbum Patrum, & conqueritur quosdam Catholicos nimis liberaliter pacisci cum Hæreticis Adversariis in hoc negotio, differre tamen multùm ab ipsis Hæreticis, quod mens ipsorum sana sit, licet cum Ecclesia Catholica non loquantur. Absurdè.

V. Reservata mentalia plerumq; aliquid monstrant, æquivocationum parentes, decipulæ, & multorum malorum causæ existunt. Si ergò hæresis non quærenda in verbis, sed solum in mente proferentis, illæ plenis velis in Ecclesiam cum jurâ veritatis & hypocryseos mixturâ introducuntur. Illustrabo hæc in gratiam juventutis simili exemplo cum priori. Pontificii in suis preculis blasphemè ita alloquuntur imaginem Christi: Tu me redemisti. Quo autem blasphemix & idololatriæ lutum abstergant, excipiunt, non hæc dici ligno vel imagini, quâ tali, sed ut accipitur loco exemplaris, Christo per lignum hæc dici. Sed quid cogitabunt simplices & rudes in Ecclesiâ, quorum semper maximus est numerus, qui crassam hanc catachresin non percipiunt, reservata mentalia non callent, neq; percipere possunt, sed verba accipiunt, non eo sensu, quo ab aliis proferuntur, sed prout sonant, ac priori conceptu in mentem influ-

influent. Si hæc ars crassa & sophistica valebit in Ecclesiâ, tum
Judei Veteres omnem suam idololatriam contra Prophetas pal-
liare & defendere potuissent.

VI. Omnia fierent disputabilia, incerta ac dubia, ac Scepticismus
callidè in Ecclesiam Evangelicam reciperetur. Anno 1636, pro-
diit Tractatus latinus, sub nomine *Alphonfi Vargas Toleranti* hoc ti-
tulo: *Relatio ad Reges & Principes Christianos de Stratagemacis
& Sophismatis Societatis Jesu ad Monarchiam orbis terrarum con-
ficiendam.* Qui tractatus concluditur cum Societatis Jesu novo
fidei symbolo, ubi omnia verba more Scepticorum & Epicureo-
rum in dubium vocant p. 107. Apponam saltem caput & cau-
dam viperini foetus: *Credo in Deum Omnipotentem Cœli & terræ
&c.* Primus (sunt verba Jesuitarum) iste articulus, si intelliga-
tur, quasi solus Pater sit Deus, & omnipotens, & Creator, Filius
autem & Spiritus Sanctus solum creaturæ sint, propositio est im-
pia, blasphema, individue Trinitatis destructiva, & pridem in
Sacro Oeconomico Concilio 318. Episcoporum, adversus Arrii
impietatem, damnata. Quatenus autem soli Patri creationem
tribuit, nova est, temeraria, erronea contra communem Ecclesiæ
Patrum ac Theologorum omnium sensum probata, cum hæc-
tenus receptum sit, tanquam inviolabile decretum, omnes Trini-
tatis actiones ad extra esse indivisibiliter toti Trinitati commu-
nes. Et p. 110. *Credo vitam æternam.* Hæc propositio, qua-
tenus indefinitè ponitur, atq; ita universaliter extenditur ad om-
nes, excludendo mortem æternam, quâ injusti punientur, falsa,
scandalosa & hæretica est, januamq; vitiis omnibus aperit, & A-
theistarum hujus temporis impietatem atq; insaniam sapit. Sub-
jicit Autor hanc censuram; *Jesuite ipsa Spiritus Sancti verba, nun-
quam nisi cum veneratione & horrore quodam tractanda, ad incu-
dem vocant, & ingeniorum suorum lascivia & petulantia subji-
unt, vereq; obscenarum Harpyarum instar contactu immundo fœ-
dere non dubitant.*

VII. Omnis in dicendo & scribendo novitatis affectatio
exosa est viris ingenuis, & indicium levitatis. *Thucudides* olim
Atheniensium levitatem ita taxavit: *Vos Athenienses semper estis
servi novarum rerum, & contemptores usitatarum.* Sicut com-
munis-

munissima via est tutissima, & ab erroribus remotissima, ita etiam ratio loquendi & scribendi Spiritui Sancto & viris piè doctis usitatissima & tutissima. *Erasmus Roderodamus*, cum aliquando audivisset docentem *Baptistam Pium*, qui utebatur stylo monstroso & verbis inusitatis referto, interrogatus ab amico, quid sentiret? respondit: longè vicit meam opinionem. Quinam? subjecit ille: *quem antea* (respondit Erasmus) *incertum judicavi, nunc prorsus insanum esse comperio*. Possent hic adduci innumera exempla locutionum obscurarum, obsoletarum, periculosarum, affectatarum, quæ à nonnullis risu, & aliis summâ indignatione & correptione excepta sunt. Si ergò hæc in vita communi, ubi jactura est temporalium, ita exosa sunt, quantò magis in negotio animarum salutem concernente.

VIII. Obnubilaretur ita phrasium & locutionum claritas. Si enim quoad sonum scandalosum, schismaticum & hæreticum, quoad sensum esset sanum & orthodoxum, tum tenebræ & obscuritates omnia supprimerent. Quid laudis affectata obscuritas in stylo mereatur, modò audivimus.

IX. Everteretur effatorum & sententiarum certitudo. Quis certus erit de alicujus sententiâ, si verba attendenda non erunt, sed præcipuè mens sua novo planè modo torquens & in æqualeo excrucians, sic facillimè quilibet sua dicta pro lubitu variare & torquere poterit.

X. Periret finis omnium scriptorum & locutionum Theologicarum, qui est informare, instruere & aliquid divini manifestare, *ὡς Διδασκῆς ὁ θεός* 2. Tim. 3. v. 15. *eruditum & sapientem reddere ad salutem*. Si enim ex verbis non debeo colligere alicujus mentem, tum ambiguus semper hæreo, fluctuo & timidus sum, nec dicta vel scripta assequuntur finem suum. Consequentia est evidens, si enim sub verbis suspectis achæreticis latitaret mens orthodoxa, tum omnia erunt ambigua & incerta, quomodo ergò informabunt lectorem & auditorem?

XI. Mens pia, docta & orthodoxa (quam *Hæretici & Novatores* crepant,) si sufficit, & verba, phrasæ & modi loquendi non sunt attendendi, si unusquisque suo potest sensu abundare, & descriptiones & sensum verborum Scripturæ sibi reservare,

eum *Barlaam Calvinianus* Judæo *Manasse Ben Israel* fraternitatis
dextram porrigens laudem mereretur in notis satis versiculis :

Si sapimus diversa, Deo vivamus amici,

Doctræq; mens precio constat ubiq; suo. &c.

Num quid hic aliud restat, quàm ut ex omnibus religionibus fiat
una religio, sicut multa jura in culina coeunt. Mens ubi vis po-
terit esse sana, ut ut verba discrepent. *Inunc & condemna Judæos,
Turcas, Phœnicians &c.*

XII. Electores Principes Germaniæ ac civitates nonnul-
læ, uti & Reformatores Papatus, quorum Dux fuit divinus Ho-
ros B. *Lutherus*, stultè ac pueriliter, imò petulanter ac perversè
egissent, se, vitam, fortunam, & omnes subditos tantis pericu-
lis exponendo. Debuissent cogitare mentem esse saniozem &
meliorem verbis, *Papam* esse suorum verborum interpretem, ut
et etiam ejus emissarios *Tezelium, Eccium, Cajetanum &c.* con-
sensum esse in fundamento fidei, inanes saltem esse *λογουαχίας*.
Næ stulti fuissent omnes martyres Germaniæ superioris & infe-
rioris, Italiæ, Belgii, Galliæ & Hispaniæ, &c. hæreticas locutio-
nes suo sanguine refutantes.

XIII. Omnes Calviniani essent genuini Augustanæ Con-
fessionis socii. Licet enim non semper nobiscum loquantur,
de mente tamen illorum nemo judicare, sed optima quæque
sperare præsumat. Quilibet enim est interpretes verborum suo-
rum.

XIV. Omnia effata & dicta Philosophica absurdissima
hoc emplastro facile curari possent. E. G. Ponat *Titius* hanc
thesin: *Anima humana est corruptibilis & mortalis*. *Sempro-
nius* illam meritò, ut absurdam & hæreticam, accusat. *Ma-
vius* tanquam Conciliator reponere posset, positionem illam
non esse damnandam: *Titium* esse suorum verborum interpre-
tem. Si locutio hunc habeat sensum: animam humanam in-
terire cum corpore, sicut animas brutorum, tum esse fallam ac
hæreticam: si verò *Titius* illam respectivè intellectum velit, re-
spectu nimirum Dei essentialiter & immutabiliter immortalis,
animam humanam utique esse mortalem, cum quovis momen-
to à Deo dependeat, & ad nutum & voluntatem ejus destrui
possit.

possit. Nonne ita *Titius* egregiè esset excusatus, & scandalum apud juventutem & simplices prorsus sublatum? scilicet.

XV. Omnes solæcismi in Grammaticâ nugatorio hoc artificio excusari possent. E. G. Puer componit exercitium, ponit in eo: *bonus mulier, mensa magnum: Johannes Tunica. Orbilius* clamat solvendas esse continuò caligas. Accedat aliquis affini hujus patrociniûm suscipiens, hoc modo: *Quilibet est verborum suorum interpret.* Si puer vocem mulier accipit *formaliter*, quoad sexum, cum opponitur viro, tum grande vitium ferulâ dignum commissum, sed si puer acciperet vocem mulier *materialiter*, quod forsan fecit, emergere hanc constructionem sanam: *bonus homo.* Similiter si mensa accipitur *materialiter* pro ligno, non verò *formaliter* pro formâ ab artifice introductâ, prodire hanc locutionem: *lignum magnum.* Itidem *Johannes tunica*, id est *Johannes est tunica indutus*, ita ut tunica non sit casus nominandi, sed auferendi. Num *Orbilius* acquiescet? Nequaquam: clamabit se ludos fieri, ac majori nisu ferulam coruscabit.

XVI. Hoc bello artificio omnia scommata, dicteria ac verba injuriosa declinari possent. E. G. *Mevius* iracundiâ stimulatus vocat virum bonum & honestum *nebulonem, nequam ac furem.* Surgit rabula, ejus patrociniûm suscipiens, ita incipit nugari. *Nebulo* dicitur à nebulâ, fumo, & vapore. Omnis autem homo est nebula, fumus, vapor. Erit ergò *nebullo*, sed in bono sensu. *Schelm* dicitur quasi *geschelt* / propriè enim nos Germani vocamus cadaver, cui à lictore pellis detracta, einen *Schelm*. Si ergò bono & honesto viro à militibus vestes essent detractæ, so were er *geschelt* / & ita in bono sensu ein *Schelm*. *Fur* esset non *Politicè*, sed *Theologicè*. Quilibet enim Christianus piensissimus coram Deo fur est, non solum peccans contra quintum præceptum, sed quotidiè etiam aliquot horas Deo furatur, quas piis meditationibus impendere deberet. Plaudite rabulæ fori, & omnes injuriæ luto proximum conspurcantes! Eant bonæ leges, & dormiant cum septem fabulosis dormitoribus! *Macte strophis Sophista*, omnia sursum deor-

sum volve, ne scelus sub sole patretur, aut error committatur, qui non suos patronos & defensores inveniat.

XVII. Diabolus, in gurgite exuviis serpentis, ita affatus est Evam, nostram matrem. *Non moriemini.* Mendacem ac Diabolicam hanc locutionem Spiritus nequam ita potuisset excusare; se intellexisse hoc sensu: non moriemini statim, & in momento. Ita etiam Eva paravit Diabolum vera dixisse, quia post esum fructus vetiti non statim in terram exanimis concidit, proinde etiam Adamum maritum suum ad edendum invitavit. Deus illos ita alloquebatur: *Quo die comederitis, morte moriemini.* Diabolus Evæ amœnitate fructuum captæ insusurravit, hæc verba ita posse intelligi, ut non obstante esu, nihilominus gratiâ Dei, consortio Angelorum, uti etiam amœnitate Paradisi frui possint. Velle saltem hoc peccatum & peccatum veniale, non dissolvens amicitiam Dei & hominum. Vel Deum aliter sentire, aliter loqui, esse illum interpretem suorum verborum. Et quæ alia similia *παιδῶν* & mille ac mille fraudum artifex suggerere potuisset.

XVIII. Si esset sensus alicujus sententiæ & phraseos, quem aliquis quocumque nisu, lusu, torturâ distinctionum & æquivocationum apparatu extorqueret ac emungeret, tum etiam *Erasmus, Dominus, Dominus* explicari possent sequenti modo: *Eras mus, Do-mus, Do-mivus.* Ita excusabuntur ambigua Apollinis oracula, & Sophistarum fraudes plus quam pueriles.

XIX. Si hæresis non est in verbis, neque Orthodoxia erit in illis. Posterius est absurdum. Ergo etiam prius. Ideo commendat Paulus *ὑποτύπωσιν ὑγιαίνόντων λόγων*, quia in illis veritas Evangelica invenitur. Cur Adversarii nostri hodie utuntur nostratum verbis, nostram linguam æmulantur? nisi ut mutuam concordiam & in fide consonantiam probare velint.

XX. Qui alium sensum urget, quam verba audita ingerunt auribus & menti, is merito amittit titulum viri boni & fidelis Doctoris. Quia vel non novit, quid loquatur, vel datâ operâ decipere vult, quod est Sophistarum proprium, qui ἀμ-
φιβο-

Φιλολάτραι ludunt. Apoge istos Doctores (*seductores & dece-
ptores* volebam dicere,) qui lectori crucem figunt, ac opinionem
singularis & raræ scientiæ venantur.

XXI. Sicut nemini subditorum concessum est novæ mo-
netas eudere, sed ut à Magistratu cufis benè & prudenter utantur,
ita etiam eruditi non debent novos terminos, distinctiones &
formulas loquendi ambitiosè fingere, sed à majoribus utiliter
inventis ad ædificationem suorum prudenter uti, aliàs brevè
erit actum de omni Philosophiâ ac Theologiâ, nec alter alterum
intelliget.

XXII. Si ille est sensus alicujus phraseos, quem Autor
sibi utilem autumat, vel alius ei favens, tum latâ portâ admit-
titur *ἰδία φιλωνς*, contra monitum Petri 2. Pet. 1. v. 20. ac
somnia & hæresium zizania in agrum Ecclesiæ abundantis-
simè inferentur.

XXIII. Qui defendit sub vocibus ac phrasibus damna-
tis mentem posse latitare orthodoxam, ille approbat menda-
cium. Consequentia est clara. *Mentiri est contra mentem ire.*
Et mendacium intrinsecè consistit in difformitate vocum & con-
ceptuum, quoad eorum notificationem. Ergò mendax est,
qui verba hæreticis usitata profert, attamen conceptus ortho-
doxos jactitat. Nec juvat, si dixeris, eum hæc protulisse, vel
ex ignorantia, vel ex simplicitate. Nam si unâ vel alterâ vice ad-
monitus fuerit, nec tamen abjicit, sed ulterius defendit, fortius
se mendacii compedibus implicat.

XXIV. Patrocinator hæc sententia (1) *Pontificiorum* hy-
pothesi, quando Sacram Scripturam vocant ambiguam, na-
sum cereum, multiplices item contrarios sensus admittentem.
(2) *Calvinianorum*, qui oculos à verbis Institutionis in Sacram
Cœnâ avertunt, ac arcanos carni suæ amicos sensus venantur.
(3) *Weigelianorum*, qui similiter literalem sensum contempnunt,
ac suis somniis delectantur. Alia plura hæc facientia adducen-
tur in sectione ultimâ. *Dices.* Hæc disputari sine Adversario:
neminem enim futurum, qui talia absurda defensurus sit? *Re-
spondeo,* (1) multi expressè defenderunt hanc phrasin: hæresis
non est in verbis, sed in mente. Si ergò hæc thesis, ut ante-
cedens,

cedens, ponunt & agnoscunt, necesse etiam est, ut consequentia, ex eâ sanâ fluentia admittant, aut antecedens abjiciant. (2) Verbis licet nonnulli hoc apertè non faciant, reipsâ tamen aliud nihil, quàm hoc agunt & asserunt. Hodierni *Novatores*, & *turbatores* Ecclesiæ vocantur, indignantur supra modum, attamen nihil aliud agunt, quàm ut Ecclesiam turbent. Definitio turbatoris in illos quadrat, sed definitum amoliantur. Eandem fabulam agunt *Calviniani*, qui definitionem causæ peccati Deo tribuunt, definitum autem se eidem tribuere inficiantur. (3) quid opus est verbis? Nemo talis esse vult, qualis est. *Titius* furatur proximo sua, non tamen fur esse vult. *Mevius* scortatur, usurâ mordente fratrem suum vexat, nec tamen nomen scortatoris & usurarii admittere vult, sed sibi injuriam fieri clamat.

V. EX ANTIQVÆ ET ORTHODOXÆ ECCLESIAE PRAXI.

Uti ex dentibus Draconis, secundum *Cadmeam* ingeniosam fabulam, nata est soboles armatorum inter se digladiantium, sic ex improprio sermone ac scandalosis loquendi formulis dissidia opinionum inter docentes & discentes nascuntur, proinde etiam pia antiquitas hoc in negotio, maximè vigilavit, uti ex sequentibus patebit.

Theodoretus lib. IV. *Histor. Ecclesiast.* cap. XIX, p. 402. refert *Modestum* Imperatoris *Valentis* præfectum cum *Basilio Magno* Cæsariensi Episcopo placidè egisse de hæresi *Arrianâ* suscipiendâ, ejusq; cordatum responsum subjungit, verba ejus ita sonant: Cum autem Præfectus Cæsaream venisset accersitum ad se *M. Basilium* honorificè tractavit, placidèq; allocutus adhortabatur, ut tempori cedere, neque tot Ecclesias in discrimen adducere vellet, tenui exquisitione dogmatis: promittebat & ab Imperatore amicitiam & de se occasione illius multa beneficia. At divus ille vir, adolescentulis congruere tales sermones, respondit: nam hos & his similes inhiare hujusmodi rebus: qui verò essent enutriti divinis literis, eas nullam syllabam illarum in discrimen venire pati posse, solereq; si res poscat, nullum genus mortis
sube-

subeundum recensere. Imperatoris quidem amicitiam magni se-
pendere cum pietate, quâ remorâ, perniciosam esse dicere. Fe-
cebat hoc agrè Præfectus, agebatque eum desipere. Tum Ma-
gnus Basilius: Utinam sempiterna, inquit, hæc mea sit desipi-
entia. Duo hic quoad præfens notanda sunt (1) Præfectum con-
troverfias inter Arrianos & Orthodoxos maxime extenuare, qua-
siminimi sine momenti, tenuia dogmata. (2) M. Basilium for-
titer asserere etiam *unius syllabæ* habendam esse rationem, quod
non fuisset necessarium, si in verbis & modis loquendi periculum
& hæresis non essent.

Similia narrat *Evagrius* lib. III. cap. XXX. p. 620. de quibus-
dam Episcopis ita constanter adhaerentibus decretis Concilii
Chalcedonensis, ad eò ut ne *literulam* quidem in discrimen dedu-
ci passi fuerint, verba ita sonant: *Atque ut nonnulli decretis in eo
Concilio editis firmè & constanter adhaerunt, & ne syllabam de
rebus in eo definitis remittere, imò verò ne litera mutationem ad-
mittere voluerunt, quia etiam ab illis, qui ejusmodi decreta repu-
diabant, magnâ cum animi confidentia refugerunt, recusaruntque
cum illis penitus communicare.* Notandum hic studiosè *syllabas
& literas*, & res seu sensus illis expressos conjungi, voces enim
sunt indices & signa rerum, uti supra probavimus. Qui ergò
mutat syllabas ac literas, voces & phrasas, ille etiam mutat men-
tem, res & conceptus.

Tripertita lib. V. Cap. XLII. p. 72. column. 1. notabile ex-
emplum ex *Theodoro* recenset, quod tale. Imperator *Eusta-
rio & Sylvano* imperabat, ut vocem *ὁμοῦσι* anathematizarent,
quam Scripturæ non haberent. Illi masculè responderunt: *Po-
restatem habes puniendi, non tamen nos Patrum statuta destrui-
mus.* Tunc Imperator illos pelli Ecclesiis, & pro eis alios ordi-
nari jussit. Quod si in verbis non esset hæresis, Patres illi non a-
deò constanter rejecissent Arrianorum locutionem. Filius est Pa-
tri *ὁμοῦσι* (quæ tamen etiam commodè potuisset explicari) & or-
thodoxam, Filius est Patri *ὁμοῦσι*, cum periculo vitæ & exilio
defendissent.

Evagrius Lib. I. cap. II. p. 585. recenset *Nestorium* hæreseos
& blasphemiz accusatum & damnatum, quod phrasin *Maria est
Deipa-*

Deipara, Θεοτόκος, mutaverit in illam, *Maria est Christi para,*
Χριστοτόκος, eo quod ab homine Deus nasci non posset. Si
hæresis non est in verbis, cur sub initium certaminis pii Patres
hanc locutionem Nestorio non condonarunt, cum etiam com-
modè explicari possit: vox enim Christus est nomen personæ,
ac duas naturas, divinam & humanam complectitur.

Theodoretus lib. II. Cap. XVIII. & XXI. p. 38. 382. refert
cum Arriani in Concilio Ariminensi contenderent de vocibus,
essentia & coessentialiter, quæ in Scripturis non inveniuntur, tol-
lendis, & loco earum vocem similis substituendam, negarentque
ferendum, ut Ecclesiæ corpus distraheretur propter duas *vocu-
las,* Patres Orthodoxi occidentales masculè restiterunt, ac Im-
peratorem Constantium magna *καρπνησία* admonuerunt. Quo
labore simulac periculis superfedere potuissent, si verba & phra-
ses adeò non essent attendendæ. Memorabile autem est (1) quod
Arriani rem magni momenti ita callidè extenuarent apud Impe-
ratorem, ut certamen propter duas voculas vocarent. (2) Pro
voce *similitudo* quidem maximè pugnant, sed similitudinem
per dissimilitudinem explicarent.

Tertullianus antiquissimus Patrum in libro suo de Prescrip-
tionibus Hæreticorum p. 93. editione Basiliensi Anno M. XXI.
inquit: *Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum &
corruptor stylus.* Corruptionem ponit Tertullianus in stylo, Ergo
etiam hæresin, de quâ in hoc loco agit.

Ambrosius lib. I. de Orthodoxâ fide contra Arrianos cap. 1.
p. 115. *Nihil enim periculosius iis hæreticis esse potest, quàm quæ
cum integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni
gutta moram illam ac simplicem fidem Dominicæ & exinde Apostoli-
cæ traditionis inficiunt.* Conqueritur hic sanctus vir uno verbo,
ceu veneno, traditiones Apostolicas posse corrumpi & infici.

Basiliensis in adhortatione sacrarum literarum egregiè loquitur:
*Sermonis partes sunt syllabæ & distinctiones, quare nec extra sco-
pum Syllabarum extensio contingit.* Et paulò post: *Ne & Non
syllabæ due sunt; at tamen fortissima omnium bonarum rerum veri-
tas, & extremus pravitatis limes, mendacium parvis hisce verbis
sæpenumero comprehenditur.* Integram Epistolam excerpit.

Flacius

Blacius in Clavi Scripturæ Parte alterâ Tractatu II. p. 123. ubi simul spissum catalogum testimoniorum ex Sanctis Patribus subiungit, ex quibus etiam nonnulla hic accommodari possent, si necessitas postularet.

Quàm cauta & circumspècta fuerit primitiva Ecclesia in formulis loquendi, & prudenter vitaverit & abjecerit etiam illa vocabula & terminos, qui per se quidem incommodi non sunt, ac dextrè explicari possunt, ex perversâ tamen usurpatione Hæreticorum ambigui, docet *Magnus noster Chemnitzus* in Locis suis Communibus passim conf. Part. I. p. 78.

VI. EX NOSTRATILUM SUF- FRAGIO.

Formula Concordiæ (1) formam sanorum verborum ubivis urget. (2) multas phrasas & modos loquendi examinat, approbat vel rejicit. (3) generales locutiones periculosas esse docet. (4) posse quidem hanc vel illam phrasin dextrè explicari, eandem etiam Orthodoxas Theologos quodam tempore usurpasse, attamen ab scandalum infirmorum ab illis nunc abstinendum. (5) simplicem sinceram & perspicuam esse sententiam, quam verba monstrant. (6) dissimiles locutiones & sermones discordiæ semina spargere. (7) quæ sit *λογομαχία*, & inanes de verbis disceptationes, & quæ non sint, inculcat. Vide p. 588. 589. 590. 629. 630. 637. 650. 679. 680. 699. 704. 705. 707. 708. 725. 739. 778. 797. 832. Editione *Lipsiensi* in Octava Anno 1654. sumptibus viduæ *Gothfredi Grossii*.

Urbanus Rhegius in utili suo libello, de formulis cautè loquendi, XVIII. Capitibus in præcipuis fidei articulis ostendit, quid incommodi attrahant locutiones duræ, crudæ, nimis concisæ & scandalosæ. Si nulla hæresis esset in phrasibus & verbis, labore isto supersedere potuisset. Quem autorem Serenissimus Dux Saxo-Leoburgicus nomine *Magnus* beatissimæ memoriæ, anno 1526. in Agendis Hadelericis parte prima omnibus Ministris Ecclesiarum nostrarum seriò commodat, ac ad illum emendum & legendum adhortatur.

D

In Col-

In Colloquio Altenburgensi Electorales excusare se conantur his verbis Actor. p. 129. & 149. *Hæresin esse non in verbis sed in rebus*, itaque cum etiam *Ducales* phrasibus ambiguis & scandalosis quandoque usi fuerint, compensandum esse utrinq; de phrasibus, ne nimirum altercando veritas amittatur. Respondent *Ducales* Act. p. 352. & 526. *hæresin esse in utroq; & in verbis & in rebus: non constare de his, nisi ex illis notis, quas verba appellamus. Apostolum requirere formam sanorum verborum ad formam sane doctrine. Modicum fermenti fermentare totam massam.* Citat hæc D. Hulsemannus in brevi Instructione Studioforum de necessitate bonorum operum ad salutem, Aphorismo Septimo thesi 34 p. 72. ac calculo suo approbat.

In infelici illâ controversiâ *Osiandricâ* de justificatione, magno cum scandalo in Borussia agitâtâ, legimus: *Morlinum* amore pacis & Concordiæ abreptum judicasse eandem prorsus utriusque partis esse sententiam, etiamsi *Osiander* loquendi formulis minus propriis & usitatis uteretur. Quod cæteri Theologi *Osiandri Adversarii* rejecerunt, & quidem rectè. Vide *Adamum* in vita *Osiandri* p. 230.

Magnus ille Theologus D. *Chemnitius* in omnibus suis scriptis, præcipuè Locis Communibus, Examine Concilii Tridentini, & de duabus naturis in Christo, ubi vis sanum verborum & phrasum usum urget, admonitiones de formulis loquendi crebrò interspergit, nevas & scandalosas angue caneq; pejus vitandas inculcat, quod non fecisset, si credidisset, hæresin non in verbis, sed in mente latitare posse. Loca specialia allegare necessarium non est, cum in quolibet fidei articulo se exempla offerunt.

B. D. *Meisnerus* in *Anthropol.* Decad. I. Quæst. V. p. 13. disputat contra *Flacium* & *Flacianos*, imaginem Dei ipsam substantiam hominis asserentes, & inter alia ita loquitur. *Non autem hic disquiro: An Flacius tam absurdè senserit, ut locutus est, cum alibi videatur discrimen admittere, inter substantiam hominis & imaginem Dei. Sunt enim nonnulli, qui inter mentem & verba Flacii distinguunt. Neque negaverim, Flacianos reliquos ipso Flacio longè absurdiores crassioresq; fuisse in verbis & sensu.*

sensu. Hæc ille. Ubi quidem inter verba & mentem quandoque distingvendum esse asseritur, quod etiam commodè certo in casu fieri posse in sequentibus pluribus probabitur, verba tamen crassa non excusantur, sed acculantur. Plura Nostratum testimonia non adduco, hoc enim esset otio & tempore abuti.

VII. EX ADVERSARIORUM CONFES- SIONE.

Josephus Hallus apud *Duræum* in *Prodrom.* p. 305. 306. ita discurret: Sanè, quod de lege olim judæi, idem nos de fidei confessione pariter usurpemus licet: De unaquâque syllabâ magni montes pendent. Literulæ unius mutatio (cæ & cæ, in ε-μοις) aut vocalis unius interpolatio quantas in Ecclesiâ turbas meritisimè cierit, sensit orbis, loqvuntur historici. Scilicet, quæ tunc vix omninò discrepant, re tamen toto cælo ita distant, ut rectè olim *Basilius*: qui divinis enutriti sunt eloqviiis, nullies mori mavelint, quàm ut literam unam in fidei suæ professione corrumpi sinant.

Dordraceni noluerunt rejicere & damnare duras locutiones *Beze* & *Zwinglij* in doctrinâ de causâ peccati, electione & reprobatione, ne simul dum verba rejicerent, etiam mentem illorum Theologorum, & suorum Præceptorum. Fatentur eigò sensum & verba intimè cohærere.

Johannes Crocius super *Tit.* i. v. 7. 9. 10. 11. notabiliter scribit: *Graviter errant nonnulli Politici veritatem tantum in thesauri radi debere, contendentes, omissâ confutatione falsorum dictorum. Prætexunt tranquillitatem publicam. Quasi verò Apostolus illam neglexerit, aut Titum ad seditiones excitandas armaverit. Habemus exemplum Elie, Johannis Baptiste, Apostolorum, imò Christi, illud potius sequamur, quàm mundanam illorum Politicorû prudentiam.* Hæc ille, & quidem rectè ssimè. Quamvis autem hoc *Crocii* testimonium directè probat, elenchum non esse intermittendum in Ecclesiâ, attamen etiam ex eo colligitur, illum & in verbis & in phrasibus hæresin ponere, quam refutandam censet.

Rivetus in Grotianaë discussionis Dialysi, passim objicit, illum esse micum fabricatorem novarum loqvendi formularum: Christum satisfacisse pro satisfactoris: Christum satisfacisse, ut satisfacere mus. p. 101. Remissionem peccati distingvit inter plenam, & minorem plenam p. 125. Sanguinem Martyrum sub novum Testamentum successisse in locum sanguinis taurorum & hircorum. p. 371.

VIII. EX INGENTI COMMODO CONTRA SYNCRE- TISMUM.

Quantum malum sit hodiernus *Syncretismus ac Samaritanismus*, nulla lingua, etiam Angelica, satis deplorare poterit. Veritas cœlestis proditur, omnibus hæresibus fores bipatentes aperiuntur, vera religio callidè opprimitur, ac falsa commodè ac citò propagatur, integra regna & provinciæ innumeris malis implicantur, nobilium ac civium privilegia & credendi libertas, & sic per consequens fundamenta legum evertuntur, confessores veritatis onerosis nominibus gravantur, quod mirum sint morosi, superbi ac pacis otores, quæ omnia latius deducta videri possunt apud Nostrates, quando calamum contra Syncretistas stringunt, ac hoc Satanæ malum deplorant. Consulantur scripta cedro dignissima Virorum de nostris Ecclesiis egregiè meritorum. Dn. D. *Dorschai, Hülsemanni, Dannbaueri, Carolij, Haberkornij*, & aliorum. Omnium autem Syncretistarum & Henoticorum, tam apertorum, quam tectorum, præcipuum est latibulum & ultimum refugium: *Ob phrases & formulas loqvendi neminem esse condemnandum. Quemlibet esse suorum verborum Interpretem. Hæresin non esse in verbis, sed in mente, de quâ à priori nemo poterit judicare, quàm solus Deus, & quas alias putridas similes merces solent publicè exponere, & incautis obtrudere.* Hoc refugio & asylo si Syncretistæ exclusi fuerint, sententiæ suæ vanitatem sine dubio in conscientiâ suâ agnoscent.

IX. EX

IX. EX CONTRARIÆ SENTENTIÆ VANITATE.

I. Dicunt: *Quilibet est interpretis suorum verborum.* Respondeo: Valet (1) tritum hoc, si interpretatio fiat sine fallaciâ & æquivocationibus, dolo, & captiosâ mentis reservatione. Valet (2) si verba æquivoca devitari non possunt ob penuriam vocum, quod multoties fit, tum dicta & scripta commodè explicari debent. Valet (3) quando aliquis alterius mentem non statim assequitur, tum sanè ex eo quæri debet, quomodo hæc sua intellecta velit? E. G. *Bucerus* primum oppugnavit sententiam *B. Lutheri* in negotio Sacræ Cœnæ, causa fuit, ut ipse in scriptis suis testatur, quod putaret *Lutherum* credere præsentiam localem, crassam & perceptionem physicam, postmodum cum cognosceret *Lutherum* & suos esse ab hæc sententiâ alienissimos, ad ejus partes accessit, quàm sincerè autem & constanter, hic non disquiro, Vide ejus verba allegata apud *Dedekennum* Vol. 1. Consil. part. 1. p. 101. 102. In nostris Ecclesiis in baptismo adhibemus ritum illum antiquissimum de *Exorcismo*, attamen liberè, si verò ex simplicioribus quispiam, vel adversariis putet nos intelligere *obsessionem corporalem*, utique ex nobis quærere debet, quam *obsessionem* intelligamus, *corporalemne an spiritualem?* Valet (4) in conversatione quotidianâ & discursibus popularibus, ubi libertas in loquendo locum habet. Non valet (5) in articulis fidei & negotio salutem animarum concernente, tum nobis scribere & loqui non licet, quod placet rationi & carni nostræ, sed ad formam sanorum verborum alligati sumus, ac ab omni verborum lusu abstinendum erit. Non valet (6) quando verba suspecta & scandalosa, hæreticis usitata aut faventia, etiam indirectè, adhibentur & defenduntur, hæc phrasæ debent prorsus devitari, ac ne minimū earum patrocinium quæri perpetuo silentio, nō solum debent sepeliri, sed expressè improbari, rejici ac damnari. Eradicetur, non irrigetur omnis planta, quam cœlestis hortulanus non plantavit E. G. Propositio hæc: *Bona opera sunt necessaria ad salutem, à nostris Ecclesiis Orthodoxis exturbata*

est in *Augustanâ Confessione* Art. VI. & in *Colloquio Altenburgensî* Anno 1568. & in *libro Concordiæ* Anno 1576. Nativa enim significatio hujus propositionis est, ut innuat ac insinuet animo audientis modum mediæ moralis & meriti annuentibus Pontificiis, proinde etiam omnis excusatio, palliatio, pictio & defensio ejus, etiam quâ talis, case angueque pejus vitanda, imò tanquam blasphemia in meritum Christi damnanda & refutanda. Cum Theologi *Electores* in *Colloquio Altenburgensî* protestarentur, se hæc phrasi non usos unquam, nec usuros deinceps, ac saltem hoc concedi peterent, ut sibi liceret à condemnatione simplici & absolutâ abstinere: *Ducales* hoc renuerunt, ac intrepidè asseruerunt, citra absolutam rejectionem & condemnationem hujus phrasios nullo modo inter se & *Electores* conciliationem sperandam. Non valet (7) si verba sunt injuriosa, utut forsitan commoda aliquâ explicacione & interpretatione emolliri possint. E. G. Subditus quidam dicat ac scribat: *Principem suum omnium scelerum esse causam, perjuriorum, blasphemiorum, furtorum &c.* explicaret autem se postmodum, quod non intelligat *causam per se, sed per accidens talem*, quæ quâ talis nihil agat. Non feret inultam ac impunitam hanc lingvæ petulantiam, Princeps, utut subditus eruditus se subtili discursu de causa per accidens purgare velit. Confer illa, quæ superius membro IV. thesi XVI. tradita de causâ per accidens, & an Deus aliquâ ratione tutò possit vocari causa per accidens peccati. Fufius egi in *Tractatu de Analogiâ Eminentia, seu sanâ terminorum Philosophicorum applicatione in controversiis Theologicis* cap. XII. Ex quibus juvenis studiosa satis percipiet Novatores trito hoc: *Quilibet est suorum verborum interpretes*, non uti animo sincero & veritatis cœlestis cupido, vel proximum ædificandi & informandi accento, sed saltem, ut errorum & nequitia latibulo.

II. *Heresin quarere in verbis, phrasibus & formulis loquendi est λογολαχεν & βεβηλως νενοφονιας damnatas à Spiritu Sancto 2. Tim. 2, v. 14. Hac admone contestans coram Domino, ne verborum pugnas sequantur, ad nullam utilitatem, ad subversionem audientium, v. 16. Cæterum prophanas vocum inanitates*
pre-

praetermittite, ad majorem enim proficiet impietatem. Respon-
deo: Vetus hæc est cantilena Hæreticorum, uti patet ex histo-
riâ *Arrianorum & Pelagianorum*. Utilem illam distinctionem in-
ter peccatum *originale & actuale*? Pelagijs novum *Augustini*
commentum vocabat, novum modum loqvendi Ecclesiam tur-
bantem, contra fidelem Pauli admonitionem, fugiendas esse in
Ecclesiâ *καινοφωνίας*, proinde non esse recipiendas novas illas
Augustini *ἀκροβολογίας*, teste *B. Chemnitio* in *Locis Commu-*
nibus de peccato p. m. 216. 221. Proinde operæ pretium erit ac-
curatè inquirere in formale *λογομαχίας & κεινοφωνιῶν βεβήλων*
ab Apostolis locis allegatis damnatum. Non est (1) *λογομαχία*
ab Apostolo damnata, si vocum distinctio & explicatio necessa-
ria est, ne in lutum æquivocationis & homonymiæ labamur, ac
veritatem omittamus. Quomodo feliciter & cum fructu dispu-
tabit, qui statum controversiæ negligit? seu quî poterit is dex-
trè formari sine vocum & phrasum accuratâ inquisitione & exa-
mine? Nec (2) si res magni momenti subest, ubi in sententiis
conveniri non potest, nec voces certæ concedi possunt, sed ac-
curatè omnes apices excutiendi sunt. E. G. In Concilio Ale-
xandrino & alibi fervidè certarunt Patres Orthodoxi pro voce
ὑποστάσις, ac probarunt, non idem esse, quod *ἰσία*, hanc
multò latius patere, quàm illam, ne *Sabellii* & aliorum erroribus
confundantur personæ in Sacrosanctâ Trinitate, in quâ una
est *ἰσία*, tres autem *ὑποστάσεις*. Similiter *ὁμοιον* Nicenum
Concilium defendit contra *Arrianorum ὁμοιον*, confer etiam su-
perius dicta. Nec est (3) si verborum delectus est, tunc utili-
ter inquiremus in illa, quæ sunt usitata, tuta ac minùs scanda-
lola, genio enim proprio hîc indulgere periculosum est. E.
G. Cum de incarnatione *λόγος* agimus, commodè adhibentur
voces, incarnatio *ἐνσάρκωσις*, minùs autem commodè vox no-
stra Germanica die *Einfleischung*. Ex verbis & vocibus *Baptismus*,
immersio, *ablutio* usitatio est eligenda. Quia Gentiles fortu-
nam habuerunt pro Deâ, cæco impetu omnia versante, quod
stercus Diabolus exspuit in divinam providentiam, inde etiam
Augustinum pœnituit, quod toties hæc voce usus fuerit, uti
patet ex libris *Retractionum*. Sed est (4) inanis *λογομαχία*
cum

cum, in re ipsa liquidus est consensus, sed saltem de verbis ac
vocibus inutiliter terra contentio recipitur. Vexat
hæc scabies illos plerumque, qui ex innata superbia aliis prælu-
cere volunt, dominatum affectant, ac inanis famæ titillatione
afficiuntur, hi facile arripiunt occasionem rixandi, ac argutis di-
sputationibus suum scopum assequi conantur. Huc spectant Hi-
larii verba ad Constantinum Imperatorem: *Dum in verbis pugna-
est, dum de nominibus questio est, dum de ambiguis contentio est, dum
de autoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum alter
alteri anatHEMA esse incipit, nemo Christi sit.* Talis *λογομαχία*
fuit inter Hieronymum & Augustinum de voce *יִרְרַץ* Jonæ 4.
& (5) inanis *λογομαχία*, quando de vocibus magno nisu magna
nugæ moventur, quibus tamen res non subsunt. Quando Cri-
ticorum turba digladiatur de vocibus fabulosis, commentis, à
Poetis impositis, quales sunt *Hypocentaurus, Tragelaphus &c.*
quò posset etiam referri vox *Purgatorium*, cui etiam nihil veri
subest. Est (6) Quando Doctores in Ecclesia & Scholis dele-
ctantur novis terminis, distictis & onibus & formulis, ac in po-
puli Christiani informatione applausum theatralem captant,
grandiloquentiam sectantur, & sesquipedalia verba jactant,
quæ juniorum aures quidem demulcent, sed veteranis & simpli-
cibus maxime exosa sunt. Uno verbo *formale λογομαχίας ina-
nis & culpabilis consistit in eo, quando de verbis & modis loquen-
di certatur sine necessitate & edificatione.* Hæreticorum & No-
vatorum mos est, dum volunt turbare & depravare sententias
rectè constitutas, ut non statim progrediantur ad res ipsas, &
arcem Orthodoxias invadant, sed vellicant primùm, arrodunt
& exagitant phrasas & modos loquendi, sciunt enim per illas
concertationes puritatem doctrinæ sensim amitti ac corrumpi.
Si quis pro antiquis ac laudabiliter receptis phrasibus pugnat,
ac novas & suspectas fortiter rejicit, *λογομαχίας* pice se non con-
taminat.

III. Objiciunt. *Patres antiquæ Ecclesiæ, multi ex No-
stratibus, imò B. Lutherus ipse duras & hæreticum quid minitan-
tes phrasas & loquendi modos adhibent, qui tamen propterea non
damnati, hærescos accusati, & ex Ecclesiæ gremio ejeti sunt, sed
potius*

porig, & quidem rectè, excusamus illos, emollimus as in bonū sensū trahimus.

Respondeo I. Si de Orthodoxyā alicujus viri ex variis scriptis, dictis, & aliis actis certò, tutò & liquidò constat, tum ob hanc vel illam duriorē phrasin dica hæreseos & schismatis continuò scribenda alicui non est, potest enim fieri, ut ex incogitantia, vel aliā mentis infirmitate, vel adversariorum importunitate tale quid excidat bono viro. Sed quis de eò apud hodiernos Hæreticos certus erit? Sponsore hic opus esset, & quidem satis forti, omne periculum & scandalum emergens removente. At, ubi ille? Olim inter *Græcos & Latinos* de vocabulis rixæ ortæ sunt. Græci dicebant: in divinis esse tres *hypostasēs*: Latini advertentes vocem ὑπόστασις esse ambiguum valde. *Sophocles* illam accipit pro insidiis. *Menander* feces ex vino in dolio collectas vocat ὑπόστασις. Latini etiam non habebant in suā linguā commodum vocabulum, quo *essentiam* à *substantiā* pro ὑπόστασις sumptā distinguere poterant. *Athanasius* tamen videns consensum esse in doctrinā, dissensum verò in modis loquendi tantūm hæere, ad concordiam hortatus est. Græci dixerunt tria πρὸς ὁμοῦ, ut Latini, cum etiam vocis *personæ* usus esset antiquior, quam ὑπόστασις.

II. Pii Ecclesiæ Doctores, si phrasibus nonnullis usi sunt, quæ vel periculosæ, vel quibus Hæreticos abasos perspexerunt, ab illis abstinerunt. Ante *Eutychis* hæresin quidam carnem Christi Deificatam dixerunt, sed postea aut non frequenter ita locuti sunt, aut planè abstinerunt. Sic invenies apud *Nostrates* quosdam tres *personas Trinitatis causas creationis socias* vocasse, nunc verò ob *Calvinianos* ab hac locutione abstinent. Ante tristia *Phorinianorum* certamina apud nostros invenies *Christum esse instrumentum Dei Patris*, sed nunc disparuit illa locutio. *Deitatem passam olim dictum: huminitatem verbum, & verbum huminitatem esse* quidam dixerunt. Sed ob *Monotheistas, Theopaschistas & Eutychianos* nunc desitum. Prædicationes *Sacramentales & personales* quidam *accidentales* salutarunt. Cum verò *Calviniani* unionem scheticam & repræsentativam fingerent, ac ad parastasin inclinantes hanc locutione delectarentur, alii maluerunt vocare *paronymicas in statu Eminentie*, uti in Tractatu de Analogia Eminentie fufius dictum. *Carnem Christi in finitè subsistere* quidam sano in sensu dixerunt. Sed ob detorsiones *Eutychianas* cessatum, & eandem in divinā ac infinitā hypostasi subsistere dictum est. Voluntatem

E

homi-

hominis in conversione *actuosa* (nō instar trunci & lapidis) dixerūt, sed cum *Pelagiani*, *Semipeagiani* & *Synergisti* eodem abuti inciperent, dormire est iussa hęc locutio. Pii veteres ante certamina in articulo de personā Christi & unione personali multū usi sunt vocabulo *permiscendi*. Unde *Irenæus* lib. 3. c. 21. dicit: *Filium hominis permixtum verbo*. *Augustinus* Deum homini permixtum scribit in Epistola, ex *Tertulliano*. Nec ineptè & absurdè: duæ enim naturæ in Christo non sicut duæ asseres conjunguntur, sed sicut ignis miscetur ferro, ut nulla pars ferri sit ignis expers, ita etiam nulla pars huminitatis est divinitatis expers. Verū cum *Eutyches* hoc vocabulum ita torqueret, ut diceret: humanitatem ita permixtam divinitati, ut illa ab hac planè fuerit absorpta, quomodo nimirum vitrum aquā repletum immittitur in dolium vini, ubi aqua nusquam apparet, sed convertitur in substantiam & essentiam vini, huic locutioni etiam exilium indictum. *Cyrillus* in eodem negotio utitur voce *copulationis*: cum autem *Nestorius* talem urgeret copulationem, quæ omnem idiomatum communicationem tolleret, etiam illa in usu esse desit. Quidam dixerunt, *Filium Dei assumpsisse Filium Mariæ*, si verò aliquis sensu *Nestoriano* intelligeret, quasi persona personam assumpserit, & alius sit Dei, alius Mariæ filius, tutius abstinendum ab hac locutione. Taceo nunc alia exempla, sed quid hęc ad hodiernos Henoticos? quando illi amicè admonentur, ut cessent in posterum ita loqui cum *Calvinianis* ac *Pontificiis*, tonant, fulminant, fulgurant, calcitrant, & nescio quæ conviciorum fulmina in benè moneentes ejaculantur, Magistratus operam implorant, plebem stultam excitant, & planè intractibiles se gerunt. Inò apertè non nunquam cum hæreticis colludunt, dextram fraternitatis spiritualis porrigunt, ac unum cornu cum illis inflant. Nullo ergo modo vel exemplo Veterum Doctorum, vel recentium orthodoxorum se tueri poterunt. III. B. Lutheri autoritas semper prætenditur, qui in libro de servo arbitrio etiam multas duras & horridas locutiones foveat. Verum sub nomine B. Lutheri tanquam sub clypeo occultant se frequentissimè *Calviniani*, & alii *Novatores*, ac ejus phrasas absolute extra contextum integræ orationis sine respectu ad adversarium considerant, sicq; ipsi injuriam faciunt. Nimis prolixum foret, omnia illa loca producere & examinare, nostri instituti ratio hoc non admittit, abundè illud Nostrates præstiterunt. Videatur

deatur præprimis Du. *Jacobus Martini* in appendice Disputationum
de causa peccati per accidens p. 404. usq; ad finem.

IV. *Monent: Hac lenitate & condescendentia, si nimirum cum er-*
rantibus loqui incipimus, paci & concordia viam sterni, ac spem concipi
non levem, errantes abjectis erroribus suis ad sanioerem mentem per-
venturos, ac propediem mutuum in religione & fide consensum insecutu-
rum.

Respondeo (1.) Consilia hæc sunt merè carnalia, nullo sacrae
Scripturae verbo innixa, proinde caduca, noxia imò ipsis cordatis Ad-
versariis exosa. In Synodo Dordracena Scilicet. l. p. 45. verba notatu
digna occurrunt. *Fac (o Deus) perpetuò cogitemus meliorem esse pu-*
gnam, quæ nos cum Deo, (qui est veritas) proximos facit, quam pacem
istam quæ separat à Deo. Duas item esse amicas & sorores geminas, Ve-
ritatem & pacem, neq; ad eam pacem venturam, si sororem ejus verita-
tem non dilexerimus. (2.) Hæc condescendentia & præcox pacis desi-
derium hæctenus nihil boni parturivit. Hoc tanquam ariete nostra
orthodoxa religio diversis in locis validius quassata est, quam vio-
lentiâ & armis. Adversarii non meliores & mitiores, sed ferociiores
& insolentiores facti sunt, id ipsum pro religionis suæ veritate, primū
& præcipuum argumentum adducunt. Sic enim scribitur informa-
tione de negotio reductionis ad Ecclesiam Romanam per regnum
Poloniæ delegatis tradita, qui Romam missi fuerunt ad Pontificem
inter scripta facientia ad Colloquium Thorunienfe: *Nova & aliàs nun-*
quam observata propensio Adversariorum ad pacem consensumq; cum
Ecclesiâ Romanâ, quæ sanè est mutatio dextra Excelsi, dum qui inter il-
los prudentissimi sunt, non eam amant, sed improbant, imò nauscant, fa-
stam à suis majoribus recessione & vel inter se quarunt, vel à nobis
expectant remedium. Itaq; nos non tantum tacitè admirari volumus
opus Dei, seu ambabus (ut ajunt) manibus occasionem prensamus, & di-
vine gratia ductum sequentes in ministerium divinis sumi operis prom-
ptè & libenter imus. Citat hæc D. *Weberus* de jure & ratione Consi-
storiorum Sect. IV. p. 353. (3.) Via hæc lenitatis & condescendentia, uti vo-
cant, viris à Spiritu sancto immed atè actis, qui tamen artem conver-
tendi homines & errantes in viam reducendi, longè meliùs novetunt
quàm nos, planè fuit incognita. Prophetæ V. T. Christus, Johannes
Baptista, ac omnes Apostoli, præprimis Paulus errores Pseudo Pro-
phetarum

phetarum magno zelo taxarunt, pellem ovinam lupis detraxerunt, lupos, leones, vipers, canes &c. intrepidè vocarunt, nec illorum linguam & modos loqvendi æmulati sunt, sed damnarunt ac rejecerunt. Quorum vestigia etiam presserunt Patres priorum seculorum, uti patet ex certaminibus cum Arrianis, Nestorianis, Eutychianis & aliis ejus fursuris hominibus. Tempore reformationis multi in eâ opinione fuerunt, Evangelium longè commodius fuisse propagatum, ac Papatus fortalitia feliciter destructa, si B. Lutherus mitiori & leniori modo egisset cum viris illustribus, Ecclesiasticis & Politicis. Verum ipse se masculè defendit, ac hanc lenitatem vocat *derestendam ac diabolicam hypocrisim*. Vide ejus Epistolam ad Wolfgangum Fabricium Capitonem Archiepiscopi Magdeburgensis, & Moguntinensis concionatorem aulicum & consiliarum Ecclesiasticum, Tom. I. Jenensi p. 558. & Tom. I. Altenburgensi p. 927. Veritatis professio & errorum refutatio debent præcedere, quæ charitas cum prudentiâ Christiana tanquam pedissequæ sequi debent.

V. *Charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* 1. Cor. 13, v. 7. Ergò etiam locutiones illas & formulas loqvendæ suspectas. Respondeo. (1) Si particulam omnis ita crudè velis extendere ad consilia illa Syncretistica, tum Atheus ac Epicurus etiam subsumeret, credendum esse, *Deum non esse in Cælo, nec Diabolum in inferno*. Quo modo particula omnis nota universalitatis dextrè exponenda sit, docui fufius in Diatribe de Propositionibus universalibus, quæ videri poterit, præprimis positio XI. (2) Doctrina fidei ubiq; chorum ducere debet, hanc debet sequi Angeli, Prophetæ, Apostoli, charitas, dilectio & aliæ virtutes Christianæ, & quod hanc non sequitur, maledictum est. *Bene Nazianzenus. Melior est discordia pietatis causa suscepta, quàm errantium opinionum consensus*. Charitas ergò omnes has loqvendi formulas suffert, quæ sanâ veritate ferri ac excusari possunt. (3) Charitatem illi homines crepant, charitatis planè expertes. Si enim vel mica charitatis & dilectionis fraternæ in illis esset, Ecclesiam, præcipuè autem simpliciores non ita turbarent ac scinderent. (4) Maximum charitatis opus est admonere errantes quales sunt omnes *Heretici & hi Novatores*.

VI. *Hodierni Pontificii & Calviniani meliores & mitiores sunt Veteribus*. Respondeo (1.) Somnia hæc sunt Politicorum nonnul-
lorum

larum, uti & Theologorum Syncretismi veneno infectum (2) Distinguendum est inter mentem & linguam, hæc mutantur, illam minime, uti ex scriptis eorum patet. Dicendum igitur potius, illos peiores esse antecessoribus suis, ac proinde studiosius cavendos. Hi enim aperte & nudis verbis suam sententiam proposuerunt, illi vero instar hyenæ nostram linguam amulantur, ut incantos nos attrahant, ac demum devorent. Hic facile posset produci catalogus præcipuorum articulorum fidei, & ad oculos ostendi hodiernos Adversarios suis Antecessoribus meliores non esse, sed illud à Nostratibus abundè præstitum.

VII. Fides non est in verbis, sed in sensu. De intelligentia hæresis est, non de Scripturâ. Sensus, non sermo sit crimen. Hæc veterum non nullorum effata denuò producantur. Respondeo (1) Committitur fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Verum est fidem non esse in verbis, & hæresin esse non in literis & scriptura, scilicet solum, præcipuè & primariò, sed in sensu, cõfer statum controversiæ (2) Dicta hæc opponuntur Hæreticis, qui nobiscum eandem orationem dominicam & Symbolum Apostolicum orant, ac inde consensum doctrinæ apud imperitos jactitant. Hisce rectè opponimus fidem non esse in verbis, sed in sensu. Quia autem in sensu & explicatione dissidemus, non oramus sincerè idem Symbolum Apostolicum. Si sufficeret ore decantare verba orationis dominicæ & Symboli Apostolici, tum nemo ex veteribus Hæreticis fuisset justè damnatus (3) Sicut canes odoratu & naribus vestigia insequuntur, venantur, & discernunt, & tantem incidunt in prædam exoptatam, ita etiam sedulus lector inter vocum & phrasium meditationes ac excussiones hæret, ut tandem intra corticem inveniat, & aperiat nucleum latentem.

VIII. Veteres novos terminos & formulas loquendi invenerunt, ac inventis impunè usi sunt. Cur idem jus non manebit hodiernos Theologos eadem libertate gaudentes? Hodierni Theologi & Philosophi in controversiis magni momenti utuntur termino instrumenti moralis, veteribus non usitato. Respondeo (1.) Falsum est veteres Orthodoxos Theologos novas & periculosas phrasas Ecclesiæ obtrusisse, ac illas mordicus defendisse. Contrarium in refutatione objectionis III. multis exemplis ostensum. (2) Si Ecclesia novis nonnunquam

terminis uti coacta est, factum est eo fine ut clarius mentem suā aperire, ac adversariis obstruere possit. Si terminis *quod* *Doc* uti sunt Doctores, fecerunt id in Ecclesiae aedificatione, non destructione & confessionem (3.) cum phrasibus & formulis loquendi novis nonnunquam ipsum doctrinae coelestis genus mutatū fuisse, experientia pro dolor abundè probavit. *Calviniani* cum suum virus nostris Ecclesiis callidè instillare voluerūt, non doctrinae mutationem quaerūt, cum in fundamento sit cōfessus, sed saltē id agūt unicè, ut dura & horrida nonnullae phrasae de communicatione idiomatum, Sacrae Coenae, & aliis nonnullis è medio tollantur. Si hodie cuilibet Doctori concederetur uti in suggestu & cathedrā scholasticā phrasibus & terminis pro lubitu, fenestrae aperirentur omnibus haeresibus. Libertas Christiana debet ancillare veritati, Ecclesiae unitati & aedificationi. (4.) Tyrones latinae linguae, si inveniunt novam quandam, floridam & magnificum quiddam crepantem phrasin, latantur, non aliter ac si thesaurum ingentis pretii invenissent, eam in Exercitiis & Epistolis crinibus attrahunt, ac crebrò inequitant, sicuti pueri in arundine longā. Idem morbus etiam vexat tyrones Theologiae & Philosophiae, si arripiunt terminum aliquem novè inventum, continuo veteres sordent. In gratiam ergo studiosae juventutis ostendam strictim, quid de novo illo termino *instrumentum morale* judicandum sit. *Ludovicus Castaneus* in distinctionibus suis causam instrumentalem ita definit: *Instrumentalis, quā principalis ad agendum utitur, seu quae elevatur ad producendum effectum nobiliorem se, vel ultra mensuram propriae perfectionis.* *Clar. Ebelius* in Aphorismis suis Metaphysicis ita illam definit: *Quae influit per virtutem inferiorem, vel imperfectiorem, quā ut possit per se effectum attingere, indeq; elevatur ab agente principali.* Sic calamus influit in scripturam, quā non potest producere virtute propria, sed ipsius scribentis. *Moralem* ille ita definit: *Moralis seu dispositiva, seu imputativa, seu excitativa, seu consilians, quae consilio, precibus, imperio, permissione, inspiratione aut simili modo movet causam liberam ad operandum, quae licet non attingat effectum influxu reali & physico, tamen ejusmodi est, ut ei merito imputetur laus operis aut culpa.* Hic ita disput. X. p. 150. *Moralis, quae non nisi imputativè influit, & licet effectum realiter non producat, ita tamen se habet in ordine ad mores, ac si reverā influeret, quā ratione etiam eidem effectus imputatur.* Sic

nauta

naua est causa naufragii & interitus navis, propter absentiam inju-
 stam, quia adesse tenebatur. & pro viribus naufragium illud vel inte-
 ritum navis impedire, qui hac de causa ei quoque imputatur. Ex hisce
 definitionibus fluunt sequentia. (1) Species distinctae specificis diffe-
 rentiis perpetuo dissidentes de se invicem in casu recto & in sensu
 diviso predicari non possunt, quod apud omnes est in confesso.
 Causa autem *Principalis*, cui subordinatur *instrumentalis*, dividitur
 in *Physicam* seu verè efficientem, & *Moralem*, tanquam species dif-
 ferentiis specificis & formalitatibus dissidentes, quod inferius la-
 tius probabitur. Ergò de se invicem in casu recto & in sensu diviso
 predicari non possunt, proinde non possum dicere *Instrumentum*
morale, seu in genere morum. Sicut non possum dicere, *homo bestia-*
lis, propriè & extra tropum. Potest quidem fieri, ut aliquis sit causa
 moralis & physica simul, sic occidens innocentem deliberato consilio,
 est causa physica, quia verè occidit, est etiam moralis, quia illi impu-
 tatur homicidium, sciens enim volens & deliberato consilio hoc fe-
 cit: Propterea tamen causa physica (*in casu recto*) de morali predi-
 cari non potest. Cape aliud exemplum. *Cicero* sub hoc formali, quâ
 consulatû gerit, est consul, quâ habet uxorem, est maritus, quâ, libe-
 ros, est pater, quâ servum, est herus & Dominus: quâ animal, edit, bi-
 bit, dormit &c. quâ homo ridet, ratiocinatur &c. quâ peritus rerum
 naturalium, est physicus, quâ virtutum & vitiorum, est Ethicus &c.
 Hæc attributa omnia, sub diversis tamen formalitatibus in uno hoc
 individuo Cicerone concurrunt, absurdè tamen unum de alio enun-
 ciantes, & diceres. *Dominus servilis. Consul maritalis, Physicus Ethicus,*
seu Physica Ethica, (2.) *Causa instrumentalis* verè ac physicè influit
 in effectum, seu præstat realem influxum in effectum: *Moralis* verò
 realiter non influit in effectum. Unde benè monet Dn. *Ebelius* loco
 supra citato: Hæc divisio, quando causa efficiens dividitur in *Physi-*
cem & moralem, æquivoca est, causa enim moralis, ut talis est & ma-
 net, verum influxum in effectum non habet; indeque nec vera & pro-
 priè dicta causa est. Ergò nec de se invicem predicari possunt. *Influ-*
ere verè in effectum, & non influere verè in effectum, contra dictoriè
 pugnant. (3.) De formali ratione causæ moralis est, ut vocatione,
 inspiratione aut simili modo moveat causam liberâ ad operandum,
 quapropter etiam vocatur *Excitativa, Imputativa, Consilians, disposi-*
tiva, noti enim sunt versus in moralibus:

Jus-

Justitiam, consilium, consensus, palpo, recursus,

Participans, mutus, non obstant, non manifestans.

Quæro quomodo hæc causæ instrumentali (*sumptâ hac voce in strâ-
Et a significatione*) poterunt competere? (4.) *Moralis causa*, quamvis
non attingat effectum influxu reali ac physico, attamen ita se gerit,
ut ipsi imputetur laus & vituperium, præmium vel culpa cum poena
unde etiam vocatur imputativa. At *causa instrumentalis* tali modo
se non gerit, ut ipsi imputetur laus vel vituperium, præmium vel cul-
pa. Ergo etiam non erit moralis. (5.) Exempla, quæ adducunt, contra
illos sunt, ac nostram sententiam confirmant. *Judex*, ut causa mora-
lis Principalis, mittit *servum* suum, ut causam moralem instrumen-
talem, ad *lictores*, ac illi indicat, ut capite privet hunc vel illû capti-
vum. *Judex* est causa moralis principalis respectu decollationis, *Ser-
vus* instrumentum morale, (*juxta illos*) *lictor* causa physica decolla-
tionis. Verum (α) servus non disponit, excitat, ac mandat licitori, ut
captive decollet, est enim saltem nuncius & Epistola volans. (β)
Servo tanquam ministro & nuncio, & volanti quasi Epistolæ non im-
putatur ipsa decollatio, nec bene, nec malè audit, si illa justa vel inju-
sta fuerit. Ergo etiam non poterit vocari causa moralis. (γ) Si servus
concurrit auxilio & consilio, se non habet ad modum servi & instru-
menti propriè dicti, de qua hic sermo est. (6.) dum quis audit nomen
causæ instrumentalis, nullum conceptum de morali format. Durum
enim ac insolens est auribus Metaphysico sono imbutis, audire cau-
sam *instrumentalem* (cum hac caudâ) *moralem*, seu ex genere morum.
(7.) Terminò hoc *instrumentum morale*, abutuntur multi in Theole-
gia, ac errores suos speciosè coram incautis & simplicioribus occul-
tant, ac tacitè propagant, proinde summo studio esset vitandus, utut
in Philosophia non esset absurdus. Ast hic terminus in Philosophia
non solum est absurdus (*unde etiam D. Strauchius*) in Consensus Or-
thodoxi repetiti vindicatione p. 416. meritò illum vocat *novum mon-
strum Metaphysicum*) verum etiam ab Hæreticis inventus, & ad er-
rores palliandos crebro accersitus, tantò ergo magis cane angueq;
pejus fugiendus. Testes sunt controversiæ: *Num verbum Dei respec-
tu effectuum spiritualium, regenerationis, conversionis, illuminationis
& justificationis sit causa instrumentalis moralis? An fides rectè voca-
tur causa instrumentalis justificationis in genere morum? Num Sacra-*
menta

mentia ad effectus spirituales, ipsis in verbo Dei ascriptos, tantum ut eas-
se morales se habeant? Terminus hic novus instrumentum morale
in nullum alium finem hic applicatur, & in subsidium evocatur,
quam ut verbo Dei & sacramentis omnis *ἐνέργεια*. vis & efficacia in
actionibus & effectis divinis callidè & rectè deegerit. Viri erudi-
ti cetera orthodoxi, qui huic termino in Philologia locum con-
cesserunt, de tali abusu & adversariorum fraudulentia sine dubio non
cogitarunt, alias in sinu eum non gestassent, sed profligassent. Sed de
his instituti nostri ratio plura dicere vetat.

IX. Dicunt: Fide ac verbis de heresi suspectis, non tamen sub-
vertentibus fundamentum Christum, salutem eternam aequè acquiri
posse, quam omni ex parte sanis, fatetur Apostolus 1. Cor. 3. v. II. 12. 13.
14. 15. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere prater hoc, quod
positum est, quod est Jesus Christus. Quod si quis superstruit super fun-
damentum hoc aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipu-
lam, cujusq; opus manifestum fiet, dies enim declarabit, quod igne re-
velabitur, & cujusq; opus, quale sit, ignis probabit. Cujus enim opus
manserit, quod superstruxit, mercedem accipiet. Si cujus opus exustum
fuerit, damnatum patietur: ipse verò salvus fiet, sed sic, tanquam per ignem.
Respondeo (1.) committitur mera petitio principii, & locus Pauli
pessimè applicatur hoc in negotio. Corinthii in doctrina cōveniebāt,
& Christus inter illos divisus non erat 1. Cor. 1. v. 13. Quod autem nos
in fundamento dissideamus, à Pontificiis & Calvinianis, Nostrates a-
bundè probarunt (2.) Si fide hæretica non subvertente Christum fun-
damentum (contradictio in adjecto) salus æterna pari pacto & via acqui-
ri potest, cur quæso opus fuit tot consiliiis contra *Eutychen*, *Arrium*,
Nestorium, &c. Cur superiori seculo Theologi contra *Flacium*, &
Wittebergenses, præcipuè *Hunnium*, contra *Huberum* calamum strin-
xerunt, & eorum dogmata profligarunt? Si Pontificii aequè ac nos fi-
lii Dei sunt, frustra ab illis secessionem fecimus. Quare patimur nos
mortificari tota die ab illis, cum res fidei illorum & nostra eodem
recidant? Si *Calviniani* sunt fratres nostri in Christo, quis ab errore,
injuria, imò petulantia liberabit nostros Theologos, qui in colloquio
Marpurgensi, *Mompelgartensi* & aliis fraternitatis dextram illis porri-
gere recusarunt? Quæso, *Paule*, cur conversationem & congregati-
onem cum carnalibus (quibus etiam accensantur hæretici & schisma-
tici)

rici) tam serio interdixisti? 1. Cor. 5. v. 9. & 11. Si omnes in Christo fratres sumus?

X. Sæpè sententia aliqua in se est hæretica, quæ tamen nondum facit hæreticum illum, qui illam fovet. Sic Apostoli circa personam, officium, mortem, passionem & resurrectionem Christi errores fundamentales alebant, nec tamen unquam aliquis illis dicam hæreseos scripsit. Si ergò sententia aliqua in se hæretica, non statim facit hæreticum, multò minus verba hæreticis usitata & hæresi proxima illud præstabunt.

Respondeo. Sæpè sententiam hæreticam non facere hæreticum, verum est, sed eum grano salis. Benè Augustinus l. 18. de C. D. c. 51. Qui in Ecclesia Christi pravum aliquid sapiunt, si correcti sunt, ut rectum sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera dogmata emendare volunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt. Et alibi ita scribit. Errare possum, hæreticus non ero. Ex quibus patet, Hæreticum facere errorem non solùm fundamentalem, sed insuper etiam eversionem & contumaciam: hæc autem ita necessaria sunt, ut conjunctim in persona errante inveniantur. Hæreticus ut dicatur aliquis, necessarium est, (1) ut erret errorem fundamentum fidei, Christum nimirum, vel directè vel indirectè evertentem. Unde à veteribus pro Hæreticis rectè habiti sūt *Arriani, Macedoniani, Nestoriani, Eutychiani, Apollinarista, Manichæi, Cerinthiani, Agnoæta, Entusiastæ, Libertini, Pelagiani & c.* Quinam autem sint errores fundamentales & non fundamentales, poterit videri apud Theologos nostros, præsertim Dn D. Nicolaum Hunniam, in *Διακρίσεις*, hanc enim materiam tangere prolixius instituti nostri ratio non paritur. (2) Non sufficit, ut talis error fundamentalis sit in aliquo homine simpliciter, (non enim quælibet inessentia rei, seu forma secundum Philosophos subiectum denominat, sed illa quæ inest satis *extensè, intensè, & protensè*) sed necessum est, ut illi inhæreat certo modo. Potest enim error fundamentalis hominè inesse bifariam (a) *Speculativè* solùm, seu *Metaphysicè*, vel *initialiter, imperfectè, rudi inexistenti, inchoativè seu materialiter*, uti loquuntur, hic non denominat hæreticum E. G. Apostoli ante resurrectionem, ascensionem Christi, & Spiritus Sancti effusionem, circa personam, & officium, & mortem, & resurrectionem Christi satis periculosè errabant, sed quia hoc factum non ex malitia & de industria, sed ex *simplicitate, animi perturbatione, ignorantia, & præconcepta communi Phæ-*

ni Phariseorū opinione, quod Messias debeat esse Rex mundanus, quā
ceu suavi phantasiā totū populus iudaicus dementatū erat, idē etiam
illis nemo unquam crimen hæreseos impegit. Potest (b) talis error fū-
damētalis inesse *formaliter, perfectè, practicè, moraliter*, cū animi perti-
naciā & obstinatione, cum delectatione & desiderio propagandi talem
errorē: Hic error fundamentalis non solum hæresis est, sed etiam hæ-
reticum denominat, uti videre est exemplis *Arrianorum, Nestoriano-
rum* &c. Inde natæ diversæ hæreticorum distinctiones. (1.) Hæreti-
cus est vel *materialiter* talis seu improprie, qui initium hæreseos ad-
misit vel ex ignorantia, vel ex infirmitate humanā, qui ab aliis seductū
est, ut pleriq; laici & auditores simplices sunt: vel *formaliter* & proprie,
qui errorē fundamentalem vel ipse invenit, vel ab alio inventū sciens
hausit, haustum, cum pertinacia defendit, propagat, promulgat, voce
ac calamo defendit, & licet aliquoties admonitus sit, tamen cedere
recusat, sed ulterius propugnat, licet etiam nonnunquam ob clarissi-
mā Scripturæ dicta morsum conscientiæ sentiat, tamen pertinax per-
manet, confer. 1. Tim. 1. v. 19. c. 4. v. 1. Tit. 3. v. 10. De hoc, non de illo
hic sermo est (2.) Hæreticus est vel *simpliciter* talis, persona errans er-
rorem fundamentalem modo jam expresso, vel *secundum quid talis*,
qui præterea etiam est blasphemus, vel seditiosus, vel adulter, vel ho-
micida &c. Illi poena constituitur vel exilium, vel aliud genus poenæ,
hæc verò mors irrogatur. (3.) vel porro est *seducens* alios ex destina-
tā malitia, vel *seductus*, attamen adhuc tractabilis: quæ ex prioribus
patent, & accuratè & proprie non sunt huius loci. Sed quid hæc ad
Syncretistas, hæreticorum opiniones & phrasas amantes, defendentes,
& aliis communicantes? dum enim omnes admonitiones conte-
munt, & in erroribus suis perseverant, pro *hæreticis formaliter talibus*
rectè habentur. Studiosè autem est notandus terminus, error funda-
mentalis, vel fidei fundamentum evertens, hic enim ubi non occur-
rit, neq; in verbis hæresis est, utat pertinacia adsit. E. G. Si quis vellet
aliquem vocare hæreticum, quia statueret, *Cælum moveri ab intelli-
gentiis, vel orbis ejus esse reales, vel dari antipodes, vel omnes animas*
vel formas propagari *generatione univocā*, & nullam dari æquivo-
eam: Et similes alias quæstiones & positiones salutem animæ non at-
tinentes, vel etiam schismata nonnulla proximo objiceret, absurdus
esset.

XI. Sæpe videntur verba dissentire, ubi in sensu, re postmodum melius intellectâ, convenientia est. Verum hoc esse multa exempla vetera & recentia testantur. Acris fuit concertatio inter Cyrillum & Johannem Antiochenum & Theodoretum, sed Cyrillus sua scripta doctissimis ac sanctissimis interpretationibus defendit, ac vitium non fuit in scriptis, sed in sinistro tantum intellectu quorundam. Vide Centur. V. Magdeburg. cap. X. p. 1077. Anno 1621. exorta est acerrima disceptatio inter D. Meisnerum & Cornelium Martini, An semper sit in forma syllogistica disputandum? Ubi tamen multi putant, non fuisse opus tantò fervore, cum in ipso rei cardine bene utriq; conveniant. Respondeo, Hæc bene quidem in thesi, sed malè in hypothesis. (1.) inter Meisnerum & Cornelium Martini disceptatio fuit non de rebus credendis, & fidei articulis sed saltem de modo disputandi. Ambiguitas est in hæc phrasi, syllogisticè disputare: nam & hoc est in forma syllogistica disputare, si legitima & competente sequela unum ex alio deducitur, seu non impingitur in regulas Consequentia, etiamsi apertus, formalis & expressus syllogismus duabus præmissis & conclusione in certa figura præprimis prima, constant, non formatur. (2.) Si inter Cyrillum & ejus Adversarios contentus fuit in fidei fundamento, verborum velitatio meritò etiam cessare debuit. Sed à nostratibus abundè fuit probatum, Lutheranos, Pontificios & Calvinianos in fundamento fidei *ἡ δὲ κατὰ τὸν* distare, & quoad illud in contradictoriis planè dogmatibus inter se dissentire. Qui ergò ex Lutheranis utitur formulis hæreticis usitatis, ille se exemplis superius in objectione adductis tueri non potest.

XII. *Que apud Autorem aliquem uno in loco dura videntur, alio in loco emolliuntur, quæ quoad sonum hæretica, quoad explanationem orthodoxa fieri possunt.* Respondeo (1) Hoc artificio Arrius, Nestorij omnesq; hæretici sua defendere & palliare potuerunt. (2) Verba scandalosa & suspecta semper & omni loco & omni tempore vitanda sunt. (3) Simpliciter hæc non possunt conciliare, & locum cū loco conferre. Audiamus hic verba *Facultatis Jenensis Theologicae* in responso quodam Anno 1670. 21. Febr. super libro M. Prætorii Schankammer occurrentia quæ ita habent. *Wiewohl nun der Author an andern Stellen dieses Buchs bisweilen förmlicher redeet und sich etwas besser erkläret, daß vieleicht seine Meinung an manchem Ort besser als die Worte mögen*

gen gewesen seyn. So sind doch weder die unverständige Jugend/noch einfältige Weibes und Mannes. Personen geschick die unterschiedliche Stellen des Buchs und ungleiche Redens. Arten miteinander zu conferiren/die unformliche zu erklären/und für Schwärmerereyen/welche sie an sich selbst/und dem Buchstaben nach den Leser veranlassen können/sich zu hüten. Citat hæc verba D. Christophorus Richter in decisionibus suis Jenæ Anno 1673. impresis Part. 3. p. 162. decisione. 139. Quæ verba satis éphatica notè illi, qui corâ populo in cõcionibus verba suspecta & duras loquendi formulas adhibet, ac multos scâdalizat.

XIII. Nonnulli ita sæviter philosophantur:

Diversum sentire duos rebus iisdem,

Incoluisti licuit semper amicitia.

Distichon hoc veritatem continere experientia omnibus seculis probavit. Apostoli, Apostolici viri, Ecclesie primitivæ Patres, aliq, viri graves, ac de communi bono optimè meriti nonnunquam in gravibus negotiis dissentere, non tamen odiosis nominibus & anathematismis se lacerarunt. Respondeo. Nimis generaliter & indefinitè omnia. Debuerunt in individuo nominari Apostoli, qui in arduis fidei articulis, utpote de Deo, persona Christi, justificatione, Sacra Cœnâ, Baptismo &c. dissenserint. Sed ubi tales inveniunt? Gal. 2. legimus inter Petrum & Paulum, *σὺν ἄλλοις* exortam, non in articulo fundamentum fidei continente, sed, in rerum adiaphorarum & Christianæ libertatis usu, externaq; cum judæis & gœtibus cõversatione. Petrus etiam hanc Pauli admonitionem æquo tulit animo, postmodum recto pede incessit, nec minarum & convitiarum imbrem in Collegam suum salutaria suadentem evomuit. Negari nõ potest, Patres in nonnullis quaestionibus diversas, imò nonnunquam contrarias opiniones fovisse. Verum si controversiæ fundamentum fidei attigerunt, vel everterunt, qualia certamina inter nos, Pontificios & Calvinianos hodie certaturum Orthodoxi adversam partem pro Schismaticis & hæreticis habuerunt, ac Ecclesiam maturè de cavendis erroribus admonuerunt, probè Spiritus Sancti præcepti memores 2. Cor. 6. v. 14. *Non ducatis jugum cum infidelibus, quod enim consortium iustitiæ cum iniustitiâ, aut quæ communicatio luci cum tenebris?* Audiamus Augustinum, Tom. I. lib. 12. Confessionum c. XXXIII. p. 151. ubi duas dissentientium classes producit, quidam à sensu Scripturæ aberrant, quidam falsa in eis



contineri afferunt, ab utraq; classe se separat, scribens: *Discedant à me omnes, qui ea, quæ falsa sunt, se scire arbitrantur &c. Melior enim est pugna, quæ Deo proximum facit, quam pax illa, quæ separat à Deo,* teste Nazianzeno in Apolog.

XIV. Vulgò etiam huc referri posset *Darandi dictum: Verbo-
s, contentiosi, calumniosi, malitiosi homines disputant de nominibus. Re-
spondeo: Si in re ipsa consensus est, omne litigium de verbis fugien-
dum. E. G. B. Lutherus scribit: Fomitem peccati non esse absq; actua-
li peccato, imò verò esse actuale peccatum.* Opponit hæc Scholasticis
ac ostendit, peccatum originale non esse nudam potentiam, sed ad-
esse actu, non esse rem mortuam, vel otiosam, sed vivam & negotio-
sam. Hinc vocat peccatum actuale, non quod à sciente committatur,
sed quia ipso actu est peccatum, seu maximè actuosum, aded, ut ne in
parvulis quidem quiescat, sed vitiosos motus excitet. Quando igitur
Lutherus se explicat, quid per terminum *actu & actuale* intelligat, ne-
mo etiam illi litem movere ac objicere debet, quasi peccatū originale
cum actuali confundat. *Hostie* apud veteres Romanos vocabantur
sacrificia, quando ad hostes ibant. *Victime* cum redibant ab ipsis
victis. *Hostie* etiam est dictus panis Eucharistiæ, quia sacramentaliter
illi junctum est corpus Christi in hostiam in cruce oblatum. *Oblata,*
vel oblata (est enim naturâ adjectivum) *sunt panis rotule, vel placen-
tule rotunde,* ab oblationibus & donis, quæ ad sustentationem mini-
strorum & pauperum in altaribus olim offerebantur, ex quibus cer-
ta pars panis & vini separabatur, & in usu Sacræ Cœnæ adhibebatur.
Hisce terminis in nostris Ecclesiis liberè utimur, non diffitentes ad-
captum populi commodius vocari *panem Domini, panem Sacrosan-
ctæ Cœnæ.* Verum cum in sensu inter nos sit convenientia, de verbis et-
iam non altercamur, nec minus nos fermento Pontificio lutulamur,
ut ut iisdem cum illis vocibus utamur.

XV. Solent etiam frequenter in scenam produci sequentes versy:

Sit bonus interpret, nunquam mala verba nocebunt.

Sit malus interpret, nunquam bona verba juvabunt.

Respondeo: Hi versiculi in *vita communi & quotidiana Conversa-
sione* non inutiliter multoties obtinent, sed in Theologia & rebus di-
vinis, ubi ad sanam verborum formam alligati sumus non item. E. G.
*Antiochus crudelissimus ille Tyrannus Jovis Olympii statuam in tem-
plo*

plo Hierosolymitano ad cultum collocavit, quam Author. i. Maccab. 1. v. 57. vocat *abominationem desolationis*. Si Judæi per illud idolum intellexissent verum Deum, quod plausible ratione & explicatione palliare potuissent, hoc modo: *Jehova* Deus noster aternus, & omnipotens, in essetia unicus & trinus in personis, verè est *Jupiter*, id est juvens pater $\zeta\epsilon\iota\varsigma$ à $\zeta\epsilon\upsilon$, id est, vivere, quia vitæ autor, & fons est, Idololatriam tamen non excusassent, nec divinam vindictam declinassent, utat commodam interpretationem adhibuissent. Nota est distinctio Scholasticorum, quando voluntatem Dei distinguunt in *Efficacem* & *Inefficacem*. *Efficacem* seu *inviellam* Dei voluntatem vocant, quæ statuit bene agentes remunerare, & malè agentes punire. Hæc semper impletur. *Inefficacem* dicunt, quæ vult omnes benè vivere, & neminem peccare. Hæc non semper impletur. Quamvis autem interpretatio hujus distinctionis non sit contra analogiam fidei, & ferri possit, tamen terminus, locutio seu phrasis est dura & scandalosa. *Inefficacia* dicitur *imperfectionem in se*, ergò à Deo exulare debet, nec illi tribui. Melius ergò hæc possunt explicari distinctionibus inter Dei voluntatem *antecedentem* & *consequentem*, *absolutam* & *conditionatam*. Deus enim vult omnes benè vivere, voluntate antecedente. Quidam ex Orthodoxis usi sunt hæc phrasi: *Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium*, forsatis ad imitationem illius locutionis, Heb. 1. v. 2. *Pater per Filium secula condidit*. Posset etiam in sano sensu admitti, quatenus non ordinem quædam virtutis spirativæ, atq; sic *inequalitatem*, sed duntaxat *ordinem* personarum infert. Verum cum (1) quidam ex antiquis ex ea colligerent, vel sequi assererent, Spiritum Sanctum à Patre *mediatè*, à Filio autem *immediatè* procedere (quod tamen ex ea non sequitur: *Pater omnia creavit per Filium*, malè colligerem, Ergò omnia à Patre *mediatè*, à Filio autem *immediatè* cauto operit. (2) Posset etiam aliquis audita hæc locutione cōcipere processionis *inequalitatem*, ac ita intelligere, quasi Filii non virtute *causæ principalis* sed *instrumentalis* cōcurrat (quamvis nec hoc ex præpositione *per* sequatur, quæ non sèper causam instrumentalem denotat *Christus excitatus est ex mortuis per gloriam Patris* Rom. 6. v. 4.) quod absurdum esset. (3) posset etiam aliquis sibi imaginari *processionum pluralitatem*, quasi Spiritus Sanctus alia processione procederet à Patre, alia quæ fieret per Filium, quamvis nec in hoc sit justa sequela. Ex quibus patet, quamvis optimè possit explicari hæc phrasis, *Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium*, tamen quia est *ἀγγραφοῦ* & *ambigua*, tutius & melius est ab ea abstinere.

abstinere, & cum Ecclesia lingua consueta loqui. *Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio.* Non ergo omnia, quæ bonâ interpretatione defendi possent, usurpare in Ecclesia utile semper & commodum est. Ad hæc adhuc unum exemplum, quo judicium concludam. Apud Veteres & recentiores Theologos inveniuntur hæc locutiones: *Pater est principium totius Trinitatis. Pater est fons Trinitatis.* Facile etiam hic bonum interpretem invenires. Quia (1.) voces *principium*, *fons*, ab imperfectionibus suis purificari possent, (2.) Patrem vocari principium & fontem essentia, divinæ non quidem absolute considerata, sed quatenus eam Filio ab omni æternitate communicavit. Verum enim verò propter Photinianos & Photinianos antea tutius erit ab istâ abstinere, quam eadem cum periculo veritatis & scandali uti. (1.) Si *Pater est fons, origo & principium Trinitatis*, tum erit principium sui ipsius, quod est absurdum & inauditum apud Theologos. Consequentia patet. Nomine enim Trinitatis non inveniuntur solum Filius & Spiritus sanctus, sed etiam ipse Pater. Ergo si esset principium totius Trinitatis, esset etiam principium sui ipsius ab omni æternitate, i. e. se genuisset, & sibi essentiam communicasset. (2.) Si *Pater est principium fons & origo totius Trinitatis*, tum sequitur in ea non esse *gignens & communicans*, sed *saltem genitum & communicatum*, sicq; Pater, desineret esse Pater, quod posterius cum sit impium, imò blasphemum, prius etiam non erit asserendum. Consequentiam ita probo. Hactenus orthodoxa antiquitas ex Sacra Scriptura credit: Patrem ab omni æternitate communicasse Filio essentiam suam & unâ cum Filio spirasse Spiritum Sanctum, uti ex præcedenti exemplo patet. Si autem Pater esset fons, principium & origo totius Trinitatis, quæ implicat etiam essentiam divinam caractere Patris determinatam, tum etiam essentia propria caractere determinata principium esset, sicq; ille non communicans maneret, sed communicatum, genitum, quod est absurdum & blasphemum. (3.) Si *Pater est fons Trinitatis sequitur nullum principium absolute ita dictum esse in rerum natura, & processum in infinitum involvi*, semper enim in aliquo primo erit subsistendum, sed hoc posterius est absurdum Ergo. Consequentia facile probatur. Hactenus pro principio omnium primo habita est essentia divina, & quidem rectè, sed stante hæc phrasi: *Pater est fons Trinitatis*, etiam essentia divina, quatenus Patri convenit à principio, sicut Filii & Spiritus Sancti esset. Plures rationes non addo, quod factum in Tractatu de Analogia

Eminentia Exemplo III,

Tantum.


00 A 6344


3
ULB Halle
002 847 086


Retro

VD/A







^{A 100} ^{A 319}
SUCCINCTUM JUDICIUM
super
QVÆSTIONE
THEOLOGICA,

An hæresis non solum fit in conce-
ptibus, sensu, mente & intelligentiâ, sed etiam
in signis conceptuum, seu verbis, phrasibus,
& loqvendi formulis?

Quod roganti viro amico
Impertivit

M. JOHAN. PHILIPPUS TONSOR,
Ecclesiæ Ottendorfiensis Pastor & cæterarum
in Hadelia Superintendens.



VVITTEBERGÆ,
Typis & Impensis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.
Anno M DC LXXVII.

33